

P. VAN LIMBURG BROUWER,

DISPUTATIO

QUA RESPONDETUR AD QUAESTIONEM,

„*An et quatenus Philosophi, qui ante Socratem et Platonem „fuerunt, atque illi ipsi et qui ex eorum scholis postea pro- „dierunt, in commemorandis vel et exponendis principiis mo- „ralibus Divinae existentis Naturae et Providentiae Deorum „notionem subinde adhibuerint et virtutis constanter ac sincero „pectore colendae incitamenta, praesidia atque alimenta inde „deduxerint?*"



QUAE

ANNO MDCCCXXIII.

LEGATI STOLPIANI

PRAEMIUM REPORTAVIT.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCXXIV.

ARGUMENTUM.

SECTIO II.

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

De

SECTIO VI.

SECTIO VII.

Utrum

SECTIO VIII.

SECTIO IX.

DIS-

DISPUTATIO

QUA RESPONDETUR AD QUAESTIONEM A VIRIS ERUDITISSIMIS, LEGATI STOLPIANI CURATORIBUS POSITAM:

„ *An et quatenus Philosophi, qui ante Socratem et Platonem* „ *fuerunt, atque illi ipsi et qui ex eorum scholis postea pro-* „ *dierunt, in commemorandis vel et exponendis principiis mo-* „ *ralibus Divinae existentis Naturae et Providentiae Deo-* „ *rum notionem subinde adhibuerint et virtutis constanter* „ *a sincero pectore colendae incitamenta, praesidia atque* „ *alimenta inde deduxerint?*

Reputanti mihi saepe numero, quam magna sint et praeclara a Deo Optimo Maximo hominum vitae munera tributa, duo prae caeteris occurrere solent, quae summo jure maximae nisi solae causae atque fontes haberi possunt, ex quibus ad hanc nostram vitam, tam variis casibus atque aerumnis expositam, et solatii jucunditas et felicitatis adeo gaudia permanarent: alterum munus illa omnium fere populorum animis impressa Divinae Naturae nisi cognitio, at opinio tamen vel suspicio; alterum, praeclarus ille ordinis pulchritudinisque sensus, arctissimeque cum eo conjunctus amor honestatis atque decori.

Quod si ex omnibus, quae vel ipsa natura vel hominum sollertia humanis casibus atque calamitatibus attulit, solatiis, omnique hujus vitae felicitate nihil quidquam his duabus rebus majus ac naturae nostrae accommodatius possit inveniri, virtutis scilicet amore et Divini cujusdam Numinis cognitione, quid

mirum illum, qui utriusque naturam probe cognitam habeat atque perspectam, eas ad se invicem pertinere et arctissimo quodam vinculo conjunctas esse arbitrari?

At vero nobis quidem, quibus jam diu Deus Opt. Max. fontes indicavit purissimos atque dulcissimos, ex quibus omne illud, quod ad virtutem bene colendam et bene beateque vivendum pertineat, abunde satis possit hauriri, nobis certe nullum hac de re dubium esse potest, et satis superque nobis persuasum est, nullam esse sanctitatem, nullam pietatem, virtutem nullam, nisi ad Deum Immortalem tamquam originem atque fontem praeclaras illas animi dotes referamus.

Primam hanc nobis praeclarus Religionis nostrae Auctor imposuit legem ut summum hujus mundi Creatorem, qui homines, hoc tanto munere indignissimos, summo amore complexus est, pura mente coleremus; et si forte voluptatis illecebris allecti, appetitus rationi non obtemperantes magis quam virtutem audiverimus, hanc nobis, tamquam virtutis praesidium, persuasionem impertiit, justissimum Dei Immortalis Numen omnia hominum facta cernere atque videre, nec quidquam magis ipsius sanctitati atque naturali rerum ordini repugnare quam committere, ut id, quo praeclara illa in virtutis regno norma atque harmonia turbetur, non poena tamquam compensatione restituatur.

Divinum Numen ab honestate etsi verbis, mente quidem secernere non possumus. Deo nihil praestantius, nihil sublimius, nihil majus cogitare possumus. Magnum vero, sublime, praeclarum nihil esse potest, nisi idem sit honestum. Deus non modo virtutem atque honestatem amat atque tuetur, sed et ipse, ut ita dicam, virtus est, et sine virtute Deus esse non potest; ob eandemque rationem in hominum vita nihil quidquam grave, magnificum, pulcrum exstitit, quod non cum virtute esset conjunctum, et ad Deum, tamquam ipsius virtutis originem atque fontem pertineret. Bene vero beateque vivere quomodo quis possit, nisi idem sit honestus; nam et virtus sola veram felicitatem continet, et quoniam ille, qui a Deo non amatur, beatus esse nequeat, sequitur ut, qui virtutem non amet, quomodo beatus esset, ne intelligi quidem possit.

Et vero etiam ita haec ipsa ratio sua se simplicitate et veritate commendat, ut intellectu videatur difficile, quomodo fieri possit, ut, qui Numen aliquod divinum existere arbitretur simulque honestatem injustitiae praestare fateatur, il-

lam-

iamque ob id ipsum quod honesta sit, utilem, pulcramque judicet, non continuo etiam perspiciat Deum sanctissimum virtutisque amantissimum honestatem amare atque tueri, et omnibus iis, qui illam tota mente omnique animi impetu ampiectantur, prae caeteris favere et praestantissima in eos beneficia atque munera conferre.

Sed etiamsi nos veluti divina quadam voce edoctos et melioris disciplinae praeceptis imbutos continuo hujus rationis probabilitas perceliat, longe tamen abfuit, ut antiquorum Populorum mentes continuo eamdem veritatis speciem perciperent, cujus rei causa praecipua videtur fuisse ea, quod non satis Divini Numinis naturam cognoscebant.

Fuit quidem aliquando tempus, quo, cum propius ab ortu et divina progenie humanum genus abesset, melius veritatem cerneret, et Divini creatoris recentem veluti imaginem animo impressam mentis oculis totam integramque perspiceret; fuit etiam postea, quo, quum jam magis a pristina illa divinitate homines deflexissent, magni quidam viri, ut cum Jove Minos, sic revera cum summo Dei Optimi Numine confabularentur, ex quibus prae caeteris eminet atque exstat summus ille vir, animi magnitudine atque obedientia praeclarus, verus Διὸς ὀαριστὴς Abrahamus.

Iis quidem remotissimis temporibus optimi illi viri, summa virtute praeclari, verum Deum cognoscebant, nec magis quam nos hodie, dubitabant, quanam ratione ad Deum honestas pertineat, virtutemque colebant idcirco praesertim, quoniam ita optime grati animi officio erga beneficentissimum Patrem atque amicum fungi se posse existimarent.

Postea vero et iisdem adeo temporibus apud alios populos, magis magisque perversae hominum opiniones a natura remotae, animi perturbationes rationi repugnantes ac ferocitate exsultantes, nec minus fere tyrannorum Orientalium immanitas, omnem ingenii vim atque praestantiam veluti reprimentes atque exstinguentes, ita hominum animos a veritatis non cognitione solum sed ab ejusdem adeo investigatione abducebant, ut pristinae veritatis lucem erroris perversitas absurditasque et simplicis illius cognitionis puritatem commentorum multitudo obrueret.

Neque tamen rerum Divinarum cognitionem penitus deleri passus est Deus Optimus Maximus. Nam non Patriarchae solum illam puram intemeratamque posteritati suae tradiderunt, sed et saepe apud alias gentes magni quidam viri exstiterunt, qui praeclaris suis de virtute atque Deo praeceptis, cum

 ip-

ipsius Dei naturam; tum praeclaram illam, quae inter divinum Numen et honestatem intercedat, rationem sese quodammodo certe perspicere ostendebant.

Atque hic quidem inter alios eminent atque lucent magni quidam viri apud gentem illam vere admirabilem, in artibus non modo liberalibus, sed et saepe etiam in philosophiae studiis divino quodam instinctu atque afflatu animatam Graecorum nationem. Et etiamsi apud illam quoque pauci admodum fuerint, qui rationem illam inter Deum atque virtutem et divinae naturae praestantiam perspicerent, satis tamen ob caeteras animi ingeniique dotes, et ob summa in humanitatem atque optimarum artium studium merita Graeci prae caeteris digni sunt, ut quid de hisce rebus statuerint, investigemus.

Quod si igitur ex omnibus illis, quae ad philosophiam pertineant, quaestionibus, nulla umquam gravior, nulla magnificentior possit inveniri, quam illa quae de Deo atque officio agat, nec quidquam fere vel utilius vel jucunditate suavius, quam rationis illius pervestigatio, qua humanum ingenium apud alios populos, a verae religionis luce remotos, et praesertim apud illam gentem, quae et ingenio et humanitatis studio prae caeteris excelleret omnibus, in ejusmodi doctrinis inveniendis atque praecipiendis versatum sit, vos laudare digne satis nemo potest, Viri Eruditissimi, qui quaestione proposita de hoc gravissimo loco hominum literatorum studia splendido praemio excitare conati sitis, ut in eo omnem suam operam studiumque collocarent.

Haec vestri delectus elegantia atque argumenti gravitas effecit, ut, etiamsi multas, quae tali investigationi insint difficultates, perspicerem, praesertim cum res agatur apud Judices severissimos ac horum studiorum peritissimos, mihi temperare non potuerim, quo minus conarer mea vobis in hac quaestione pertractanda studia probare.

Antequam vero ad rem ipsam accedamus, primum quaedam de ratione, quam in hac disputatione secuti sumus, praefari liceat.

Primum in duo capita investigationem de uniuscujusque philosophi placitis ipsa quaestionis ratio dividit: scilicet primum, *An et quatenus in commemorandis vel et exponendis principiis moralibus Divinae existentis Naturae et Providentiae Deorum notionem adhibuerit; deinde, utrum inde virtutis constanter ac sincero pectore colendae incitamenta, praesidia atque alimenta deduxerit.*

Altera investigatio in moralis doctrinae fontibus atque initiis versatur; alte-

tera in praeceptis admonitionibusque ad virtutis viam ingrediendam et honestatem tuendam atque conservandam. Principia moralia continent rationem unde officii necessitas deducatur, id est, quae efficiat, atque ostendat, quare honestas colenda sit, vel, ut brevius dicam, caussam continent, quare virtus sit virtus: haec sunt initia ac fontes. Praecepta officiorum fines describunt, ostendunt, quomodo voluntas emendari et totus animus ad virtutis studium converti debeat, et ad eam rem efficiendam hominum mentes adhortantur atque excitant.

Ubi igitur primo loco in cujusque philosophi placitis pertractandis de principiis agemus, investigandum erit, utrum statuerit, in eo esse virtutis essentiam positam, quod voluntati divinae obtemperemus, an vero honestati propriam tribuat dignitatem, qua ipsa se tueatur ac commendet non solum sed etiam propter quam colenda esset, etiamsi nulli umquam Dii exstitissent; quod si vero primum, utrum huic divinae voluntati idcirco obtemperandum esse statuat, quod tanta nobis Deus beneficia tribuat, ut nihil virtus aliud esset, nisi grati animi erga liberalem praeceptorem officium, an vero magis tamquam domino, non duro quidem et agresti, at domino tamen nos obedientes esse velit, qui arbitrio suo id bonum judicarit, quod nobis tamquam legem summam, atque agendi vivendique normam praescripserit; si vero honestatem per se expetendam existimarit, utrum huic sententiae divinam tamen auctoritatem adjunxerit quodammodo, v. c., utrum statuerit, Deum idcirco omnium esse perfectissimum, quod summa sit virtute praeditus, ita ut veluti exemplum sit atque norma virtutis, quo fiat, ut numquam melius honestatis officio fungi possimus, quam si Deum imitemur atque omni animi vi atque impetu contendamus, ut ei fiamus quam simillimi.

Hisce initiis atque fontibus pervestigatis, facilis erit ad locum de praeceptis transitus. Scilicet in uniuscujusque philosophi placitis indagandum erit, utrum adhortationes ad virtutem colendam ex religionis sanctitate atque amoris quodam ardore erga Deum, hominum Creatorem atque sustentatorem, petita sint, an vero ex metu magis, aut certe ex proprii commodi atque utilitatis ratione, vel denique, ex virtutis amore et admiratione perfectissimi exempli, quod in divinae naturae praestantia ac dignitate nobis veluti propositum cernamus. Porro hic etiam agendum erit de admonitionibus ex notionibus de Deorum providentia ac justitia derivatis; dicendum erit de opinionibus, quae ad fatum pertinent, quatenus illud necessitatem hominum ac-

actionibus inferre judicetur, quatenus ab ipso Deo in virtutis studio homines sustentari existimentur; videndum erit de poenis ac remunerationibus: quatenus in hac vita malis bonisque proposita esse putentur; quaenam honestis viris secundum philosophorum placita sint a Deo solatia parata, quum humanae vitae calamitatibus affligantur; utrum hoc loco etiam ratio sit habita felicitatis animorum post mortem corporis, et utrum in hoc statu poenae etiam atque praemia futura existimentur. Denique investigandum erit, quatenus cultus, preces, omnem denique religionem virtuti, quae ipsa in actione omnis consistit, necessariam et cum eadem conjunctam esse philosophi arbitrati sint.

Haec mihi praecipua videbantur capita, quo in hac commentatione omnis posset oratio referri. Negari quidem nequit earum quaestionum, quas hoc loco proposuimus, cuique fere novas posse subjici: v. c. etsi statuant Philosophi Deum juste et legitime imperantem hominum rebus consulere et honestatis injustitiaeque habere rationem, quaeri posset, quemnam ei remunerationum poenarumque finem propositum esse statuerint: Utrum existiment illum necessario virtutis amore et intima cum honestate conjunctione malum odisse, ita ut fieri nequeat, quin improbos puniat, bonos beneficiis ornet; an vero Deum idcirco magis hoc facere arbitrentur, ut rerum in hoc universo ordinem tueretur, vel denique ipsorum hominum gratia, quo facilius illos ad perfectam felicitatis conditionem et malorum immunitatem adduceret. At vero tantum abest, ut ab omnibus ita accurate ac diligenter hoc argumentum pertractatum sit, ut paucissimi potius omnes, quas supra attigimus, quaestiones tractaverint. Porro per se patet, molestum fore, et vero etiam interdum factu difficile, omnes hasce animadversiones ubique inculcare et in omnium philosophorum placitis investigandis singulas quaestiones denuo proponere: semel monuisse sufficiat, ut habeat, quo se referat oratio, et quo facilius animadvertamus momenta, in quibus a se invicem philosophi differant.

Nec magis, credo, necesse erit in hisce placitis investigandis ubique opiniones de existentia et de providentia divina a se invicem disjungere. Imo vero saepe factu esset difficillimum. Ad opiniones de existentia divina sine dubio referendae sunt opiniones de proprietatibus, vel, quemadmodum a nonnullis appellantur, de virtutibus divinis. Nam primum quaeri posset, utrum sola persuasio Deum existere satis umquam in se habere possit adjumen-

menti ad virtutem commendandam (1); porro, nisi Epicurum sequi velimus, Deum nisi agentem quidquam ac molientem nobis effingere non possumus: quod si quis faciat, qua ratione sine sapientia ac virtute illum agere ac moliri existimet, ne intelligi quidem potest. Et hae rursus opiniones ita arctissimo vinculo cum opinionibus de providentia conjunctae sunt, ut etiamsi eas a se invicem mente ac cogitatione separare possimus, ubi de iis disceptare conemur, alterutram seorsum sumere fere non liceat. Etenim Deum nisi sapientem ac bonum cogitare, nefas est: quod si vero sapiens sit ac bonus, fieri nequit, quin id, quod aliquando effecerit, tueatur atque curet; quin virtutem amet, injustitiam vero oderit ac puniat. Etiamsi igitur in principiis moralibus tradendis de Dei existentia, id est, de Deo tamquam sapientissimo ac perfectissimo Numine separatim agi possit, tamquam virtutis veluti fonte atque exemplo; ubi ad praecepta transibimus, hanc virtutem ac sapientiam a providentia omnino disjungere non licebit.

Caeterum quod ad libros attinet, quibus in hac disputatione pertractanda usus sum, fontes adire malui, quam rivulos sectari. Haec est ratio, cur recentiorum fere nulla mentio a me facta sit, nisi ab iis locum quemdam, ad praesentem disputationem pertinentem, illustratum esse compererim, aut ita pertractatum, ut satius ducerem librum indicare, quam quae in eo scripta essent, denuo repetere.

Haec de instituti nostri ratione, quam magis adhuc ipsa de philosophorum placitis disputatio explicabit.

Quodsi vero hujus argumenti gravitati satisfacere velimus, et inde ab initio harum de Deo ac virtute opinionum historiam apud Graecos enarrare, nesesse erit ab antiquissimis inde Graecorum scriptoribus hujus rei originem repetere. Etenim, Viri Eruditissimi, quaeritis de philosophis. Philosophi autem placita sua saepe ex opinionibus iis petiverunt, quae eo, quo viverent, tempore, apud populum jactarentur. Non omnino certe ab iis liberi fuisse putandi sunt, et saepe etiam dignae erant hae opiniones, in quibus elaborarent. Igitur non alienum ab hujus scriptionis aditu esse potest, breviter de ipsius vulgi opinionibus videre, quas praesertim in iis invenimus scriptis, quae ad vulgi plerumque opiniones accommodaverint auctores: scriptis nimirum poëtarum. Sed praeterea cum Graecorum philosophia initio a poë-

(1) Cf. Bayle, Dict. histor. et critique in voce *Sommona-Codom.* not. A.

poësi derivata sit, et cum antiquissimi Graecorum philosophi ipsi poëtae fuerint, certe de iis dicendum est poëtis, qui etiamsi moralem doctrinam non disciplinae forma includerent, praestantissima tamen Ethicae praecepta tradiderunt: Hesiodum, dico, Theognidem, Solonem, alios, quorum ultimum certe praeterire mihi nefas sit. Quod si vero de hisce poëtis dicendum esse arbitror, iniquum esset, hujus disputationis initium non ab eo viro auspicari, cujus auctoritate non poëtae solum sed et gravissimi adeo philosophi nitebantur.

Detis igitur mihi hanc veniam, Viri Eruditissimi, ut ab omnium artium ac disciplinarum origine atque fonte, Homero, incipiam, quo facilius placitorum de divina providentia atque ejus cum honestate conjunctione veluti progressus per omnes aetates intelligantur, aditusque nobis paretur ad illos philosophos, qui et ipsi poëtae cum essent, non versuum modo numerum et mensuram, sed et nonnulla adeo de gravissimis rebus placita a veteribus acceperint. Et ita etiam facillime nos instituti nostri ratio ad philosophorum sectas deducet eas, quibus, Socrate duce, magis quam superioribus, moralis fuit doctrina proposita, cui operam navarent. Vestram igitur argumenti descriptionem secuti, primum agemus de Philosophis ante Socratem et Platonem, dein de Socrate et Platone, denique de iis, qui postea ex eorum scholis prodierunt.

SECTIO I.

De opinionibus ad propositam quaestionem pertinentibus, quas apud Veteres Graecorum poëtas invenimus.

Primum igitur videamus, quaenam fuerint apud Veteres Graecos de nostra quaestione opiniones. Non agitur quidem hoc loco de placitis certa disciplinae forma definitis ac circumscriptis; non traduntur principia moralia, non philosophorum praecepta, sed vulgi opiniones, poëtarum arte ingenioque ornatae, saepe etiam magnificae ipsius poëtae sententiae et gravissimo quoque philosopho dignae. Etenim dicere non vereor, melius et gravius

sae-

saepe ab Homero, et qui eum secuti sint, poëtis de illa, quam quaerimus, inter Deum virtutemque rationem esse dictum, quam a gravissimis veterum scholarum philosophis; et saepe ita locutus est Homerus de Justitia divina et de virtutis praestantia, ut Plato ipse, qui saepius illum tamquam moribus inimicum et constantiae fortitudinique adversum exagitat, iisdem illis sententiis, si in libros suos easdem conferre voluisset, non mediocre ornamentum gravissimae suae disciplinae addidisset.

Omnis fere veterum Graecorum poësis religionum sanctitate nitebatur. Non ad homines solum, sed ad Deos etiam omnis in Iliade et Odyssea actio pertinet. Non suum sibi vitae cursum mortales describunt, sed illam, quam ipsis Jovis vel et fati potentia viam muniermt, sequuntur. Ad Jovem omnis et felicitatis et calamitatis in hac vita origo refertur; omnia illa bona, quae fortunae dotes postea appellata sunt, a Diis immortalibus repetuntur, et fortitudinem adeo Jovi patri et Minervae fortissimi quique acceptam referunt. Nondum ita a divino ortu atque progenie remoti, Deorum saepe familiaritate heroes utebantur, et interdum, rebus bene gestis et praeclaris facinoribus editis, ad divinum Deorum concilium coetumque extollebantur.

Quis igitur miretur; in tali carmine, ubi tam arcto inter se societatis vinculo sint homines et Dii conjuncti, divinae providentiae justitiaeque esse rationem habitam. Erant quidem Dii illi Dii vulgares, quales sibi imperita multitudo judicii errore effingebat: at satis tamen patet, quam multa intersint inter Jovem et caeterum Deorum gregem, quamque multa adeo inter Jovem quem sibi Homerus excogitarat, ac Jovem, quem ad vulgi opiniones a Junone circumventum et sopore obrutum effinxerat. Neque ipsae quoque vulgares opiniones ubique repudiandae, quae, etsi saepe erroribus permixtae, non universae tamen semper a veritate abhorrebant. Sed videamus de singulis.

Primum ipsius Justitiae Jupiter est et fons et origo (1); virtutem hominibus impertiit (2); Ἐριννύες caeterique Dii perjurium aliaque scelera puniunt

(1) Il. A. 238. . . . . υἷες Ἀχαιῶν
. . . . οἵ τε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται.

(2) Il. Υ. 242.
Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε
Ὅππως κεν ἐθέλῃσιν.

niunt (3), et Dii adeo hisce Deabus poenas dant (4); mortalium iste, qui temere Diis immortalibus resistere audeat, diu vita frui non potest (5).

Sanctissime porro hospites et supplices colebant veteres Graeci et Trojani, quod Jovem illorum et tutorem et veluti patrem existimabant. Imo vero qui erga senes non debitam adhibuisset modestiam, eum a Diis puniri arbitrabantur (6). Et tanto Jovis aliusve Dei amor atque benevolentia heroibus erat ornamento, ut auxilium iis a Diis immortalibus in bello allatum nihil de propria gloria detraheret, sed, etsi magis portentis et miraculis, quam virtute vincerent, ob id ipsum tamen ab omnibus maximis laudibus efferrentur. Ita Patroclum Apollo, ita Hectorem Minerva inermes paene adversariis tradunt, nec minus idcirco horum a poëta laudes praedicantur. Ita Antilochus etiam Menelaum in certamine curili increpat, quod non vicisset, idcirco praecipue, quod vincere potuisset, si preces modo Diis adhibuisset (7). Honori ei fuisset, si illi Dii favere voluissent, dedecori vero quod ab illis relictus sit. Nimirum non favent Dii nisi iis, qui omnia pure et caste eorum numini tribuant. Et haec est etiam ratio, cur quod hodie fere sine ignaviae suspicione pugnator facere non audeat, ut scilicet, simul ac adversarium fortiorem esse cognoverit, fugam petat, fortissimus quisque Graecorum et Trojanorum faceret: nam

αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος αἰγιόχοιο,
Ὅστε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ, καὶ ἀφείλετο νίκην
Ῥηϊδίως, ὅτε δ᾽ αὐτὸς ἐποτρύνει μαχέσασθαι (8).

Neque tamen ab altera parte negari potest, saepius ita expositam esse hominum atque Deorum societatem et conjunctionem, ut injuste et illegitime Dii ipsi hominibus imperare videantur. Et hoc quidem magis ad vulgi opiniones pertinere quam Homero proprium fuisse, putandum est. Ubi homines humana (ut ait Cicero) ad Deos transferunt, quod in Iliade et Odyssea factum satis omnibus notum, nemo sane miretur, ibi saepe ira et animi perturbatione excitatos Deos homines malis afficere, quae potius ab illis omni

vi

(3) Il. I. 454. 561. Od. O. 234. Λ. 279. Ξ. 83 et 84.
(4) Il. O. 204. T. 418.
(5) Il. E. 408.
(6) Il. Ψ. 586—595.
(7) Il. Ψ. 543—554.
(8) Il. P. 176.

vi atque impetu propulsare debuissent. Et quemadmodum omnium rerum a Jove tamquam principio et fonte initium repetitur, sic calamitates etiam omnes et ipsa hominum perversitas atque injustitia ad illum caeterosque Deos referuntur: etsi tales sententiae saepe non nisi ex persona infelicis cujusdam hominis proferuntur, qui doloris acerbitate afflictus Diis immortalibus propriam culpam stultitiamque tribuit. At vero Minerva tamen Pandarum adhortatur ut contra pactorum fidem Menelaum sagitta petat (9). Ulyssi somnum immittunt Dii, quo facilius socii ejus odiosum facinus contra Solis pecora perpetrent (10). Deus ipse hominibus bonam mentem aufert (11). Ita etiam apud Hesiodum Dii Amphitryonem, quia contra eos peccaverat, incitant, ut Electryonem occidat, quo facilius eum postea puniant (12). Eodem omnes illae de Deorum odio invidiaque opiniones pertinent, et prae caeteris etiam persuasio illa, quam apud sequentes inprimis poëtas invenimus, liberos parentum atque affinium, cives regis poenas luere (13). Porro non ita diligenter erant officia apud veteres descripta, quia saepe fraus et mendacium maximae erant laudi si callide adhiberentur. Hinc quod Ulyssis ipsiusque Minervae calliditas saepe laudetur (14). Minerva Hectorem perdit eo, quod Deiphobi specie illum adhortatur, ut Achillem exspectet. In hymnis Jovem ipsum Mercurii doli delectant, cujus praecipua laus erat, quod fraude alios callide deciperet (15). Neque magis erant religiosi veteres Graeci in castitatis ratione habenda, quod Ulysses in itinere et plures fere Dii quam homines multis locis ostendunt. Quod si igitur ita Dii immortales ad humanam sint speciem informati, mirum certe nemini accidere potest, non ultimis vel nullis potius affici poenis illos mortales, qui ea sese vitiorum labe inquinassent, qua ne Dii quidem Numinis sui sanctitatem puritatemque dedecorari putarent. At vero satis hoc omnibus notum, quam perverse de Diis, humano generi simillimis, populus judicaret. Attamen quum illorum temporum ferocitatem et inscitiam consideremus; quum animadvertamus primum inter Deos et homines saepe magis fa;

(9) Il. Δ. (10) Od. M. 335 sq. Cf. 371 sq.
(11) Il. I. 377. Cf. H. 360. et Od. Ψ. 11 et 12.
(12) Sc. Herc. 71 sq.
(13) Cf. van Limburg Brouwer, de Sophoclis Tragoedia, p. 42—50.
(14) Od. N. 291 sq.
(15) Hymn. in Merc. 389. Ζεὺς δὲ μέγ' ἐξεγέλασσεν ἰδὼν κακομηδέα παῖδα.

familiaritatis consuetudinem, quam religionis reverentiam intercedere, ita ut homines saepe cum Diis et agant et contrahant, cum iis pugnent adeo eosque decipiant, quarum rerum Herculem tantum et Laomedontem sufficiat testes excitare; quum videamus non minus grata judicari Diis hominum sacrificia, (quibus hi gloriantur interdum, ubi Deorum implorant auxilium,) quam divina beneficia hominibus; quum consideremus, quam longe a nostris et de justitia et de castitate opinionibus veterum Graecorum persuasio differret: acres nimis et severi animadversores vitiorum essemus, si haec omnia non illorum temporum simplicitate metiri, sed ad nostrae religionis severitatem tamquam ad amussim exigere vellemus.

Sed haec hactenus. Antiquissimo certe Graecorum poëtae ne nimis tribuere videar, nullo modo vereor, cum illud affirmo, virtutem apud illum a Diis immortalibus praeclaris muneribus ornari, injustos vero et impios debitis poenis affici.

Praestantissimum et luculentissimum hujus rei exemplum suavissima praebent carmina, in quibus poëta Ulyssis errores descripsit. Probe quidem scio, nihil magis a veteris artis indole atque natura esse alienum, quam studiose ubique finem quemdam, uti dicitur, moralem investigare et magis etiam significationem ubique allegoricam et mysticam suspicari: sed hanc tamen suspicionem, Odysseam legens, non facile a mente mea arcere possum, Homero, haec carmina facienti, duas hasce continuo praesto fuisse opiniones, et divinae cujusdam voluntatis numine humanas res gubernari ac regi, (etsi non divina providentia illa, quam nos agnoscimus, omnia omnino uno veluti obtutu complectenti atque administranti); et diligenter, quid agant, quid in sese admittant homines, considerare Deos, a quibus justi remunerentur, puniantur impii. Nam, ut paucis, quae afferre volui, absolvam, quid tandem est Minerva illa, quae et Ulyssem et Telemachum et Penelopam et omnia, quae ad eos pertinent, intuetur, curat, gubernat? Est quidem, et hoc negare nec volo nec possum, una ex Deorum numero, ex quibus alii non minus obstant Ulyssi, quam ipsa illum tuetur, sed omnium tamen est sapientissima Deorum, Jovi carissima, hominum Deorumque parenti, favens uni quidem homini, sed homini (pro illius aetatis ratione) hoc favore dignissimo, ut ipse declarat Jupiter (16), et ita favens ut omnes et res

(16) Od. A. 65 sq.

res et homines ad illum vel minima societatis communitate pertinentes providentia sua curaque complectatur, et hoc quidem non sapientissime modo, sed et justissime, cum piorum impiorumque aequissimam habeat rationem. Quid enim magis efficit ut de divina ac rebus humanis providenti cura cogitemus, quam cum videmus, quam diligenter Penelopae Minerva consulat, et maxime quidem, quum illa animo sollicitudinibus molestiisque agitato, et doloris paene acerbitate victa, de salute penitus diffidat (17). Sed haec indicare non necesse est. Majus est et ad hanc praesentem pertinet scriptionem, quod haec providentia virtutem muneribus, injustitiam poenis afficiat. Clara quidem voce hoc Odyssea praedicat, saluberrimum et purissimum felicitatis fontem esse virtutem. Offert nobis poëta humanae vitae imaginem, cum Ulysseae domus calamitates aerumnasque depingit: quisque quod sibi utile videtur, facit et agit: hic probitatem tuetur, justitiam, religionem; ille Deorum cultus spernit, religionumque sanctitatem, et temeritate exsultans, libidineque efferata elatus, omnem repellit et rationem et normam: hic omnibus fortunae dotibus ornatus immani laetitia gestit; ille injuriis veluti obrutus, moerore confectus jacet, et fortunae succumbens dolorem resistendo elevare animumque ad fortitudinem revocare nequit. Nonne Eumaeo et Philoetio Melanthum, Euryeleae Melanthum ancillam, ipsi Penelopae procos oppositos videmus? Nemo horum (uno Eumaeo excepto) dubitat, quin diu adhuc, et semper fortasse, hic rerum status ita possit manere: at vero hoc ipso tempore, quo cumulata est impiorum injustitia, omnis vero proborum spe, dejecta: ecce instat, imo vero adest domus diu vexatae et rex et ultor, Justitiae divinae minister, quem eadem justitia et rerum humanarum procuratio multis ambagibus ac lento gradu, veluti manu, in medium sceleratorum consessum deducit, subitoque ei gladium tradit, quo omnem impiorum turbam puniat, virtutis vero amicis sua restituat, optimisque eos et praemiis et muneribus ornet. Cum nostrae quidem religionis puritate moralis Homeri philosophia conferri nequit, sed mihi semper Ulyssem reducem intuenti, Servatoris nostri similitudo occurrit, qua dominum subito domum revertentem effingit, qui servorum alterum dormientem, alterum vigilantem reperit, et qui cuique sua, pro ea, qua fuisset, vigilantia negil-

(17) v. c. Od. Δ. 716 sq. 795 sq.

gligentiave tribuit. Sed nolo rem urgere. Illud verum est, Homerum in hoc carmine ostendere ὡς κακοεργίης εὐεργεσίη μέγ' ἀμείνων (18); cumque ad hanc rem conficiendam nisi providentia divina, proprie sic dicta, at Minervae tamen, vere Προνοίας, ipsiusque Jovis, summi rerum humanarum administratoris, uti mente ac consilio.

Quod ad statum animorum post mortem corporis attinet, Homerus in ea minorem habuit virtutis injustitiaeque rationem quam in hac praesenti vita. Refert quidem vulgatas de Tantalo, Sisypho, Tityo fabulas, (quem locum nonnulli tamen interpolatum esse judicant) (19): at caeteroquin nec locos, ubi puniantur impii, memorat; nec ullam criminum, quorum poenas dent mentionem facit, nisi unius perjurii (20).

Hesiodi itidem carmen morale, Opera et Dies, refertum est praeceptis, quibus ita ad justitiam et honestatem admonentur homines, ut semper divinam respicere vindictam jubeantur, nisi pie casteque virtutis munere fungantur, praesertim in admonitionibus illis, quibus poëta reges ad justitiam adhortatur (21). Hinc celebratae illae de jurisjurandi Deo, de Justitia, de decies millibus Daemonibus voces, mortalium hominum custodibus, qui aëre induti, et recte et secus facta observant, passim per terram oberrantes (22); hinc ille

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας (23).

Deos iis, qui veritatem colunt, opes largiri, impio vero ac mendaci viro ejusque adeo posteritati poenas immittere affirmat poëta (24): etiam ipsum τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα a Diis repetit (25). Deos secundum Hesiodum colere debemus ut placando illos nobis conciliemus, et ita fortunae nostrae consulamus (26).

Temporum quidem ordinem si sequamur, jam ante Homerum et Hesiodum de Orpheo dicendum fuisset: at vero primum vulgares de quaestione nostra opiniones, Homeri et Hesiodi operibus contentas, horum poëtarum in-

(18) Od. X. 374. (19) Thiersch, Urgestalt der Odyssee §. 13.
(20) Il. Γ. 279. T. 258, 259. Cf. Hermann Handb. der Mythologie T. I. p. 382.
(21) Op. et D. 174—273. (22) Ib. 252 sq. (23) Ib. 267.
(24) Ib. 279. (25) Ib. 289. (26) Ib. 336 sq.

ingenio ornatas, attingere voluimus, et postea demum ad eos poëtas transire, qui propius ad philosophorum severitatem accedant; sed praeterea etiam tam pauca nobis de vero Orpheo innotuerunt, ut nihil fere de ejus placitis sciamus, nisi eum doctrinam de Deo uno et summo, ante res conditas cum materia seu Chao conjuncto, et de animi immortalitate Graecis tradidisse (27). In fragmentis, sub Orphei nomine jactatis, multa invenimus profecto, quae et summam redoleant ntiquitatem, nec ab Orphei doctrina, qualemcunque illam tandem cognoscamus, videantur aliena: sed ita haec omnia conjecturis dubiisque agitata sunt, ita et doctissimorum adeo Virorum de illis vacillant judicia, ut optandum sit, ut tam facile vera invenire possemus, quam falsa convincere. Nobis quidem satis erit, hoc loco indicasse ea, quae ex iis ad nostrum argumentum pertineant. Et haec quidem brevi absolvuntur. Primum in eo cum vetere doctrina pulchre concinit recentior, si talis fuit, horum carminum auctor, quod unus Jupiter omnes in se Deos veluti complectatur et contineat, quod omnium rerum opifex sit et rector et anima mundi (28). Nec temere hunc Deum Μῆτιν appellatum esse opinor (29). Hanc mentem, sive providentiam, cum justitia conjunctam esse, probosque et improbos intueri, et sua cuique tribuere, ostendit fragmentum aliud servatum apud Stobaeum (30). In Hymnis ἀθανάτη inducitur πρόνοια, quae et eadem πεπρωμένη αἶσα ac Φύσις appellatur, quae bonis propitia, malis adversa dicitur (31), caeterum precibus et libationibus pura castaque mente peractis μυστιπόλοι praesertim Deorum et beneficia et benevolentiam se sibi conciliare existimant (32). Porro et hic rursus vulgares de Nemesi, Justitia, Nomo usurpantur sententiae. Aequabilitas

(27) Vid. prae caeteris Tiedemann, Griechenlands erste Philosophen.

(28) Vid. fragm. in Ed. Hermanniana p. 457 et 486. 492, XXXV. 495, XXXIX. Cf. p. 460. adnot. ad vs. 9. (vs. 9—15. a Gesnero pro antiquis habentur) et p. 461. adnot. ad vs. 19. Cf. etiam Schol. in Platon. a Ruhnk. ed. p. 226.

(29) Ib. p. 457. vs. 19. et Gesn. ad h. l. Cf. p. 458. vs. 27. νοῦς δὲ οἱ ἀψευδής caet.

(30) Ib. p. 472.

Ζεὺς δ' ἐφορᾷ γονέων ὁπόσοι τίουσι θέμιστας,
Ἠδ' ὅσοι οὐκ ἀλέγουσιν, ἀναιδέα θυμὸν ἔχοντες·
Καὶ τοῖς μὲν πρόφρων τε καὶ ἤπιος ἐσθλὰ δίδωσι,
Τοῖς δὲ κακὰ φρονέων νεμεσίζεται Εὐμενίδεσσι.

(31) Hymn. X. vs. 15, 26 et 27.

(32) Hymn. III. 13. XVII. fin. XIX. 20. XXV.

tatem tuentur, omne nimium auferunt, probis favent, iisque innoxii adsunt, injustos gravi plectunt calamitate (33). Horum tamen pleraque ad recentiorem aetatem pertinere videntur.

Restat ut de illis videamus poëtis, qui Gnomici vocantur. Inter hos primas tenent Theognis et Solon, in quorum carminum fragmentis haud pauca exstant praecepta morum ad pietatem et omnem virtutem; et quae saepe etiam ad illam commendandam providentiae justitiaeque divinae habent rationem.

Deorum consilio et providentia res humanas administrari et gubernari, multis locis docent et Theognis et Solon, aliique hujus generis poëtae. Nemo sortem suam semper ad eam dirigit normam, quam sibi proposuit, ut fortuna fruatur secunda. Dii et felicitatem et calamitatem arbitrio suo mortalibus tribuunt (34): interdum improbos omnibus fortunae dotibus ornant (35): quam rem saepe moleste fert vir honestatis amans et religionum sanctitates observans (36); etsi inde, ut praeclare dixit Solon, nullum potest argumentum peti, licere nobis, a virtutis via deflectere (37). Dii enim vident eos qui et supplicem et hospitem decipiant (38), peccata non tolerant (39), malos oderunt (40), et saepe efficiunt ut honesto viro, etsi facile posset vinci, fortior inimicus succumbat (41). Praeclara quoque est illa Theognidis sententia, quae suadet ne infelicibus insultemus:

> Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιῤῥέπει ἄλλοτε ἄλλως,
> Ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε δ' οὐδὲν ἔχειν (42)

ob eamdem rationem ne temeritate exsultemus admonet (43): nec ulla fere ab eo officii pars relinquitur, quin ex providentia divina et rerum humanarum vicissitudine ad illam suadendam et laudandam petat argumenta (44). Ita

(33) Hymn. LXI — LXIV. (34) Theogn. 135 sq. ed. Brunck.
(35) Theogn. 151. (36) Ib. 365 sq. 721 sq. (37) Solon XIII.
(38) Theogn. 145. (39) Ib. 318. Cf. 667. (40) Ib. 609.
(41) Ib. 319.
(42) Ib. 157 sq. Cf. in ead. ed. sentent. sing. vs. 348, 491 — 493.
(43) Ib. 161.
(44) Ib. 173. Θεοῖς εὔχου, οἷς ἐστι μέγα κράτος· οὔτι ἄτερ θεῶν
Γίγνεται ἀνθρώποις, οὔτ' ἀγάθ', οὔτε κακά.

Ita etiam providentiae utitur persuasione, quâ amicum adhortetur, ut aequo animo hujus vitae difficultates et incommoda ferat, nec temere gestiat laetitia, cum sors vela vento inflet secundo (45).

Solon non minus quam Theognis (46), summam rerum humanarum administrationem respicit, quum ad virtutem amplectendam cives suos adhortatur. Divitias, quas Dii mortalibus dederint, utiles ac stabiles esse ostendit, incertas eas et noxias adeo, quas injuste sibi homines comparaverint (47). Probis Dii favent (48); cives suos monet, ne Jovi et Minervae impie resistant, rempublicam tuentibus et curantibus, alioquin enim illos divinae Justitiae poenas daturos esse (49). Denique monet, ne illam ejus aetatis imitentur impudentiam, qua homines, quae ipsi sibi consciverint, mala Diis immortalibus adscribant (50).

Aliorum Gnomicorum de virtute sententiae hisce a nobis commemoratis persimiles sunt, et in iisdem de Δικῇ, de Nemesi, caet. admonitionibus versantur.

Nonnulli praeterea fuerunt antiquissimis illis temporibus viri, qui moralem doctrinam attigisse videantur. Pittacus non minus scriptis moralibus, quibus adhortaretur cives ad legum obedientiam, quam rebus fortiter gestis inclaruit. Biantis exstitit carmen ad Iones de statu reip. feliciter tuendo; Chilon fertur elegiaco carmine brevia acutaque sapientiae praecepta tradidisse; Periander librum scripsisse de vita prudenter degenda. Sed horum scripta, paucissimis quibusdam sententiis exceptis, ad unum omnia perierunt.

Epi-

391. Αἰδεῖσθαί τε φίλους, φεύγειν τ' ὀλεσήνορας ὅρκους
Ἐντρέπου, ἀθανάτων μῆνιν ἀλευόμενος.
1133. Κύρνε, θεοὺς αἰδοῦ καὶ δείδιθι· τοῦτο γὰρ ἄνδρα
Εἴργει μήτ' ἕρδειν μήτε λέγειν ἀσεβῆ.

et multis aliis locis.

(45) Ib. 599 sq. 997 sq.

(46) Perinde est ad praesentem scriptionem, utrum unus an plures auctores Theognidis carmina confecerint; etsi scio, nonnullos interque eos Heynium, virum cl., haec carmina pro farragine habere, ex pluribus ac diversis poëtis conflata. Heyne ad Il. T. VII. p. 720.

(47) Solon, V. 7—33.

(48) Ib. 69. Τῷ δὲ καλῶς ἕρδοντι θεὸς περὶ πάντα τίθησι
Συντυχίην ἀγαθὴν, ἔκλυσιν ἀφροσύνης.

(49) Ib. XV. 14 sq. (50) Ib. XIX.

Epimenides et Pherecydes videntur fuisse primi, qui placita sua soluta oratione literis mandarent: sed unice in argumento, ut vocabatur, physico versati fuisse videntur. Quod si verum est, Pherecydem praeclare de immortalitate animorum et de Jovis aeternitate sensisse, utrum haec egregia praecepta ad morum utilitatem retulerit, nescimus. Caeterum multa tamen etiam versibus tradidisse feruntur, et in iisdem fere argumentis versati fuisse videntur atque Orpheus et Hesiodus. Epimenides certe Argonautica et Theogoniam scripsisse dicitur, Pherecydes de Jove, de Ogeno, caeteris (51).

Caeterum haec de antiquorum poëtarum sententiis et de communi veterum Graecorum persuasione sufficiant. Ex iis, quae exhibui, speciminibus satis, ut opinor, de utrisque judicari poterit.

Quod si paucis ea, quae diximus, complectamur, videmus, veteres Graecos non illam tantum, quam omnium fere mentibus impressit atque insculpsit natura, Deorum informationem quamdam et veluti praenotionem, firmiter tenuisse, sed ita etiam illis fuisse persuasum, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, sive cum fato communi veluti consensu agentes, sive eidem interdum subjectos; pro arbitrio suo mortalibus bona et mala tribuentes, impiorum et proborum rationem habentes. Et quum omnia omnino a Deorum potentia repeterentur, saepe et virtus adeo ac sapientia mortalibus ab illis cum concedi, tum auferri putabantur. Hinc quod sese interdum divino veluti impulsu ad injustitiam et stultitiam adigi dicerent homines, vel alios adigi existimarent, quo graviorem postea superiorum peccatorum poenam luerent. Felicitatem vero improbis ob eamdem tribui causam opinabantur, uti nempe suâ sibi insolentia divinam vindictam contraherent. Hinc porro opiniones de Nemesi, de Justitia, caeteris. Homerus, ut poëta in argumento etsi non omnino ficto, at multis tamen et commentis et ornamentis aucto versabatur; et vel sic tamen saepe summi rerum humanarum moderatoris, et Justitiae divinae imaginem, ad pulcritudinis et divinitatis speciem, menti insitam, informavit.

Sequentes vero poëtae magis jam ad philosophorum gravitatem accedebant, et simul atque illis de fato et providentia, Justitiaque divina opinionibus, a ma-

(51) Max. Tyr. Diss. XIX. p. 304. ed. Dav. et auctt. ibi laudd.

majoribus acceptis, meditandi sollertiam adhibere coepissent, diligentius etiam et magis de industria illas carminibus intexebant, et eo quidem id facilius faciebant, quo minus ab hac ratione ipsum scriptionis argumentum abhorreret.

Tales igitur opiniones Philosophi invenerunt, et pulcram sane nacti materiam in qua elaborarent, ante Socratem tamen et Platonem, nemo fere (uno fortasse Pythagora excepto) ita in ea versatus est, quemadmodum exspectandum esset a Philosophis, qui fundamentis, pulcre a poëtis et ab ipso populo jactis, magnificum sane superstruere potuissent aedificium. At ne ipsi nobis earum rerum, de quibus postea dicendum erit, praeripiamus facultatem, statim ad ipsos Philosophos pergamus.

SECTIO II.

De Ionicis Philosophis.

Mirum sane videri possit, homines, quum a poësi ad philosophiam converterent animum, id est, quum non delectationem modo quaererent, sed et utilitatis studio excitarentur, minus tamen, quam antea et sibi et aliis profuisse. At ita tamen accidisse, abunde testatur historia philosophiae.

Poëtae de humana vita egerant, de republica, de moribus, et, quamvis non data opera rem tractassent, utilissimis tamen praeceptis ad illam pertinentibus, carmina sua ornaverant. Philosophi, (nam etsi hoc titulo et Homerus et Hesiodus digni erant, ita tamen ii praecipue nominandi videntur, qui rerum causarumque indagationem prae se ferrent, et de industria magis pertractarent,) philosophi altius spectabant, et quum jam in coelum migrare velle viderentur, quod de Thalete, principe eorum ac patre, narratur, eum in foveam incautum incidisse, cum astra attentius contemplaretur, idem antiquissimis illis omnibus fere accidit; nam cum a natura deflecterent, quam Homerus ducem fuerat secutus, et quae sola verae philosophiae principium est atque causa, vitam humanam, hominum societatem, instituta,

 mo-

mores reliquerunt, et de rerum origine, de natura Deorum, de anima mundi quaerere coeperunt.

Quodsi igitur praesentis scriptionis initium a philosophis proprie ita dictis, auspicari voluissemus, profecto non splendidus fuisset primus hujus materiae ingressus. Haec alia causa fuit, cur poëtas praeire ac veluti agmen ducere voluimus. Etenim hoc argumentum erat, in quo diserti esse possemus, nisi metus, ne vobis, Viri Eruditissimi, talis in ipso disputationis initio atque aditu digressio displiceret, ad ipsas philosophorum scholas nos properare jussisset. Nunc vero argumenti jejunitate revera terremur et reformidamur, et nisi jam meliora in posterum exspectaremus, numquam hanc tantam suscepissemus operam.

Quaeritis an philosophi, in commemorandis vel et exponendis principiis moralibus, divinae existentis naturae et providentiae Deorum notionem subinde adhibuerint: quod si pro Thalete et iis, qui ex ejus schola prodierunt, respondebimus, dicendum erit, eos id, de quo quaerimus, paene ne attigisse quidem.

Fertur quidem Thales primum causam mundi efficientem intelligentemque induxisse, quum Deum esse eam mentem diceret, quae ex aqua cuncta fingeret (1), et Hesiodi in eo secutum esse sententiam, quod *omnia plena esse daemonum* diceret (2); immortalitatem denique animorum et praedicasse, et, uti creditur, subtilioribus quam antea fuisse rationibus: at vero quae ex hisce placitis a nonnullis concluduntur, haud scio an subtilius quam verius dicta sint. Unum illud, quod a veteribus ejus dictum traditur, *plena esse daemonum omnia*, ad providentiam quamdam divinam pertinere existimari posset: illud vero, quod ei a nonnullis tribuitur, *mundum necessitate gubernari, quae immutabile esset judicium, et constans vis providentiae*, perperam ad illum refertur; quippe quod, cum nomen auctoris e Stobaeo exciderit (3), proprie ἀδέσποτον sit, et, uti recte statuit Heerenius, ad Hermetem potius vel ad Platonem referri debeat. De aliis ejus dictis, quae a Diogene, Clemente Alexandrino et Stobaeo memorantur, quid statuendum sit, videri potest apud Meinersium in Historia Doctrinarum apud

(1) Stob. Eclog. L. I. C. III. 2⅞. Cic. de N. D. I, 10.

(2) Stob. l. l. Pseudo-Plutarch. de plac. philos. I. 8. (3) Eclog. l. c. V, 7.

apud Graecos et Romanos (4): sed pleraque nihil ad nos, uno alterove excepto, *homines ne meditantes quidem injustitiam Deum latere* (5), et *infortunatum ne contumelia afficias: in his enim Deorum vindicta sedet* (6). Fertur etiam a nonnullis Thales statuisse, *esse heroas animas, quae ex corporibus discessissent, bonos quidem bonas, malos vero malas* (7): sed utrum satis haec auctoritas valeat, nescio, etsi illam a Clarissimo Wyttenbachio video allatam in Disputatione de sententiis Veterum de statu animorum post mortem corporis (8).

Videris, quam pauca sint et incerta, quae de eo ad nostrum argumentum sint prodita: neque hoc aliter fieri potuit, quoniam nulla ejus feruntur scripta, sed quae de ejus placitis ad nos pervenerint, omnia fere veterum compilatorum nituntur auctoritate, suntque praeterea effata tantum et sententiae, nulla disciplinae forma descriptae: praeterquam quod, ut caeteri hujus scholae philosophi, praecipue in physica versatus fuisse videatur.

A sequentibus hujus scholae philosophis minus adhuc exspectari potest; Anaximandro et Anaximene, quippe qui non in physicis tantum versati sint, sed etiam tam absurdas de Diis, rerum et animarum ortu opiniones finxerint, ut omnem de ratione inter Deos et homines agendi facultatem plane tollerent. Causam enim efficientem et materiam pro una eademque re habuerunt (9).

Idem fere de Diogene Apolloniate, Anaximen's discipulo, dicendum est (10), et quoad scimus, moralem doctrinam non attigit.

Anaxagoram vulgo huic eidem sectae annumerant, etsi ejus doctrina a doctrina superiorum philosophorum toto coelo differat; sed cum in hac scriptione in aliam classem cur rejicerem non erat, cum quae de eo dicenda habeam, perpauca sint. Causam efficientem intelligentemque statuit Men-

(4) T. I. p. 152. (5) Clem. Alex. Strom. V. p. 704.
(6) Stob. Serm. Tit. III. p. 54. (7) De placit. philos. I. 8.
(8) Verhand. van Teylers Genootsch. T. IV. p. 8.
(9) Pseudo-Plutarch. de placit. philos. I. 3. Cic. de N. D. I. 10. Acad. II. 37. Cf. Cudworth. Syst. Int. c. II. §. 21 sq. de loco Aristotelis, ubi Anaximandrum ab hoc crimine liberare videtur.
(10) Arist. de Anima, I. 2. Cf. Bayle Dict. Hist. et Crit. T. II. p. 639. not. B. Alii eum Anaxagorae discipulum fuisse perhibent.

Mentem divinam, non modo subtilitate et puritate, sed et potentia et sapientia excellentem, praepotenti suae naturae vi ac ratione materiam ita designantem ac describentem, ut contraria segregaret, similia colligeret, et ubique ordinis, pulcritudinis, utilitatis haberet rationem (11).

Omnia hujus Mentis vi moveri contendebat (12), etsi, Platone quidem judice, magis naturae mutationibus necessariis ac motibus rerum causas tribuit, quam Menti illi divinae (13); in quo Aristotelem habuit assentientem (14). Porro homini liberam tribuit voluntatem, sed nec inde, nec ex superioribus de Deo placitis, ad moralem disciplinam quidquam conclusit.

Archelaum, qui ab Anaxagora accepit disciplinam, etsi moralem tractasse doctrinam memoriae proditum est (15), nihil de illa nobis innotuit, quod ad praesens argumentum referremus. Imo vero Diogenes Laërtius tradidit illum statuisse, justum et turpe non esse natura tale, sed lege tantum (16).

SECTIO III.

De Pythagora et Pythagoreis.

Accedimus ad Pythagoram. Et statim quidem major nobis lux affulget: at magna inde difficultas oritur, quod in iis, quae de hoc viro refert antiquitas, sincerum ac purum veritatis lumen a falso errorum splendore distingui

(11) Diog. Laërt. II. Stob. Ecl. Phys. c. III. 28. Sext. Emp. adv. Math. VIII. p. 309. C.

(12) Arist. de Anima I. 2. T. I. p. 479. E.

(13) Phaedon. p. 393. D. sq. Ed. Ficini.

(14) Arist. Metaphys. I. 4. Recentem nactus est defensorem Anaxagoras Meinersium in Opere laud. T. I. p. 673.

(15) Sext. Emp. adv. Math. VII. p. 140. C.

(16) Diog. Laërt. II. p. 37. Sed secundum alios falso ei haec sententia tribuitur. Cf. Barbeyrac in praefat. ad Puffend. le Droit de la Nature et des Gens. p. VI.

gui fere nequeat. Nam multi illi et veteres et recentiores e Graecis scholis philosophi, qui de Pythagora egerunt, tam diversa, imo contraria, et tam multa veri admodum similia fabulis mixta tradiderunt, ut interdum quid horum eligi, quid rejici debeat, omnino nesciamus.

Antequam igitur rem ipsam aggrediamur, monendum est de fontibus, ex quibus omnis nostra de Pythagora oratio manabit. Ipsius Pythagorae scripta ad unum omnia perierunt. Nam de *Carmine aureo*, quin ei denegandum sit, nemo facile erit, qui dubitet. Satis notum est, pleraque, quae ad eum pertinent, praeter ea, quae de illo tradiderunt Aristoteles et Sextus Empiricus, inveniri tum apud Diogenem Laërtium, tum apud tres illos de ejus vita scriptores, Jamblichum, Porphyrium et anonymum, cujus fragmenta Photius servavit. De Diogenis autem auctoritate quid statuendum, non opus erit, post multa doctissimorum virorum de eo judicia, fuse ostendere; et si qui sint ex veterum compilatorum numero, quibus non nimis ubique fidendum, is est profecto: ita ut caute et circumspecto judicio adhibendus sit. Jamblichus vero et Porphyrius tam aperte omnium et veterum et recentiorum superstitiosorum et fide dignorum testimonia miscuerunt, ut facile appareat quid de illis judicandum. Et ex illis quidem auctoribus eos non ubique, ut candidos veritatis testes excitandos esse, qui scripta sua miraculis et portentis referserint, nemo facile negabit. At vero non omnino quidem et ubique illi ostentorum narratores rejiciendi, nisi certo demonstrari possit, mala fide ab illis esse rem tractatam: nam uti multi fuerunt, qui eadem sedulitate omnia, quae de Pythagora invenirent, in commentaria sua referrent, probabile est, fabulis, quas narrant, quaedam etiam vera esse admista. Haec igitur ut eruamus, quoad ejus in re tam dubia atque ancipiti fieri potest, dabimus operam.

Porro ad nostrum institutum quum praecipue moralis philosophiae pars pertineat, hujus praesertim mentionem factam reperimus apud Jamblichum inde a § 37 usque ad § 58, ubi traditur oratio Pythagorae ad Crotoniatas, inde a § 100 usque ad § 102, et multis praeterea locis in fragmento illo inde a § 167 usque ad § 248. Ex iisdem fontibus, ex quibus haec de Pythagora manarunt, hauserunt etiam, ut videtur, Diogenes Laërtius, Libro VIII. § 22 et 23. et Diodorus Siculus, Excerpt. 554 sq. Haec magna ex parte, judice Meinersio, qui peculiari cura hunc locum tractavit, debentur Dicaearcho

archo et Aristoxeno (1), quorum fidem in hisce tradendis mihi quidem satis ita probavit, ut illa niti non verear.

Denique et hoc animadvertendum, cum universa philosophia Pythagorica in duas partes possit dividi, in Exotericam et Esotericam, nobis praesertim hoc loco de Exoterica ratione agendum esse, quoniam omnis nostra in eo versatur disputatio, ut investigemus, quantum emolumenti ad bene beateque vivendum et ad virtutem rite colendam ex opinionibus de divina natura providentiaque Pythagoras derivarit: quem locum in orationibus et in sententiis ad vulgi captum accommodatis explicavit; subtiliores vero ejus de Ethica disputationes omnes ad numeros referuntur.

Hoc igitur inter omnes constat, Pythagoram, etiamsi nulla moralis disciplinae praecepta discipulis tradidisset, quorum tamen multa eademque egregia feruntur, scholae suae legibus et institutis ita iis profuisse, ut nulla philosophorum praecepta desiderarent. Etenim non ad physicam tantum, sed etiam ad moralem philosophiae partem animum advertit; fidibus et cantu, quotidiana rerum gestarum recordatione, aliisque institutis prudentissimis, ad temperantiam, justitiam, liberalitatem et omnium virtutum excellentiam illorum mentes excoluit.

Sed praeterea egregia nobis praestantissimaque ejus praecepta servata sunt ab auctoribus minime contemnendis, eaque discipulis non solum, sed et civibus tradita, in quibus frequentem ejus rationis mentionem fecit, quae inter Deos hominesque intercedit, prudentissimeque ea usus est ad hominum mentes ad omnem virtutem honestatemque excitandas et confirmandas.

Hujus moralis Philosophiae a Pythagora inventae haec est indoles atque natura, ut sese prae caeteris veterum doctrinis mira quadam benevolentia ac lenitate commendet; neque illud dicere vereor, cum primum illa, quae ad Pythagorae Ethicam pertinerent, attentius legissem, perculisse me hujus rationis cum Christianae doctrinae convenientiam. Nam nullam virtutem tanti aestimabat Pythagoras, quanti animi liberalitatem ac humanitatem, quippe quae omnium fere virtutum esset fons atque origo, temperantiae, modestiae, benevolentiae. Idcirco hoc imprimis apud illum valebat Deum amare homines,

(1) Geschichte der Wissensch. bey Gr. und Römer T. I. p. 565. cf. p. 275, 278, 279, 284—287. de Aristoxeno et Dicaearcho. vid. p. 213—225.

nes, quod quidem non ita diserte ab alliis antiquis philosophis affirmatum esse memini. Etenim in egregia illa oratione, qua Crotoniatas ad virtutem adhortatur, cum pueros alloquitur, inde se Deorum benevolentiam atque erga humanum genus amorem percipere declarat, quod pueros praesertim diligant, quod quidem, etsi argumentis ex veterum religione petitis demonstretur, nobis etiam meliora edoctis admodum placeat, necesse est (2).

Huc etiam pertinet, quod Deos non cruentis sacrificiis colendos esse diceret (3); quod amicos ita colendos esse doceret, ut numquam inimici fierent, inimicos ita tractandos, ut amici evaderent (4); quod animalibus et plantis adeo innocuis, nedum utilibus nocere vetaret (5); quod omnibus denique sodalitii sui institutis illud sibi propositum esse ostenderet, ut primum quisque animi quamdam aequitatem ac lenitatem sibi compararet, deinde, sodalibus, omnibusque omnino hominibus, amice, humaniter, benevole uteretur. Neque opus esse credo, ut loquar de amicitiis Pythagoreorum, quae ita omnibus notae sunt, ut etiam in proverbium abierint.

Haec de doctrinae indole atque natura praemonere necesse erat. Nunc ad ea transeundum, quae magis ad nostram quaestionem faciant.

Primum igitur Pythagoras, etsi numerum causam efficientem, solem, lunam et reliqua sidera Deos esse diceret (6), intelligentes tamen Deos et justos et hominum amantes induxit, et veterum hac de re opiniones secutus, Deos cum hominibus societatis quadam communitate conjunctos esse (7) iisque consulere statuebat (8), idcircoque omnia bona a Diis esse petenda (9). Ipsum porro Deum, nam ita summum Numen ab aliis Diis sive Daemonibus

(2) Jambl. 51. *πρὸς δὲ τούτοις θεοφιλεστάτους αὐτοὺς (τοὺς παῖδας) ὄντας ἀποφῆναι, καὶ διὰ τοῦτο φῆσαι κατὰ τοὺς αὐχμοὺς ὑπὸ τῶν πόλεων ἀποστέλλεσθαι, παρὰ τῶν Θεῶν ὕδωρ αἰτησομένους* etc. locus longior, quam ut huc adjici possit, sed lectu dignus.

(3) Jambl. 54. Diog. Laërt. VIII. p. 580 et 581.

(4) Ib. 95. (5) Ib. 40.

(6) Diog. Laërt. VIII. p. 582 et 583. Cic. Acad. IV. 37.

(7) Sext. Emp. adv. Math. VIII. p. 331. B.

(8) Jambl. 216. *μετὰ δὲ τοῦτο ἐμάνθανε (ὁ Ἄβαρις) παρ' αὐτοῦ (Πυθαγόρου) περὶ τοῦ οὐρανόθεν ἠρτῆσθαι καὶ οἰκονομεῖσθαι πάντα.*

(9) Ib. 87.

bus distinguere videtur, Bonum appellabat (10), ut postea Plato, et solum Sapientem (11), injustissimeque illos agere homines, qui propriam culpam in Deos rejicientes, eos morborum et calamitatum causas esse dicerent (12). Denique ita piorum impiorumque rationem habere Deos docebat, ut horum injustitiam punirent, illorum remunerarent pietatem (13), et bene idcirco in poëtarum fabulis Jovi Themidem assidere (14). Et cum animos immortales esse statueret (15), non in hac vita tantum illud Deis curae esse autumabat, sed apud inferos etiam puniri improbos (16).

Hisce veluti fundamentis omnis reliqua ejus de virtute doctrina nititur. Quod vero apud Aristotelem legimus, Pythagoram virtutes ad numeros retulisse, ad explicationem essentiae virtutis pertinet et ad esotericam disciplinam (17). Praecepta certe et adhortationes multifariam a Deo repetiit. Nam primum, cum mutuam inter Deum vel Deos et homines benevolentiam adesse docuisset, illos ab hisce grato animo amplectendos esse docebat, et pia mente, cultu, precibus colendos (18). Deinde, saepe in adhortationibus ad virtutem et honestatem divini Numinis mentionem injecit, ut inde virtutis veluti stimulos ac praesidia quaereret. Praeclarae orationes ad Crotoniatas habitae Pythagorae hac de re sententiam optime declarare possunt.

Venerat Crotonem eo consilio, ut ejus civitatis incolas a vita luxuriosa et delicata, et a voluptatis illecebris ad temperantiam et modestiam revocaret. Hac mente et juventutem et senatum et pueros et mulieres singulis orationibus ad virtutem cohortatus est, et postea ipse vitae exemplo ad hanc

(10) Auct. de plac. phil. I. 7. Πυθαγόρας τῶν ἀρχῶν τὴν μὲν μονάδα θεὸν καὶ τἀγαθὸν, ἥτις ἐστιν ἡ τοῦ ἑνὸς φύσις, αὐτὸς ὁ νοῦς.

(11) Clem. Alex. Strom. IV. p. 477.

(12) Jambl. Vit. Pyth. 218.

(13) Ib. 42. Diog. Laërt. VIII. p. 587. vide infra loc. adscript. p. 32. not. (37).

(14) Ib. 45. (15) Ib. 219. Porphyr. 19.

(16) Ib. 178 et 179. Diog. Laërt. VIII. p. 586. πολλῷ δὲ μᾶλλον ἀδικεῖσθαι δεῖν παρήγγελλεν ἢ κτείνειν ἄνθρωπον. ἐν ᾅδου γὰρ κεῖσθαι τὴν κρίσιν ἐκλογιζομένην τὴν ψυχὴν, καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῆς, καὶ τὴν πρώτην τῶν ὄντων φύσιν. et alia loca similia.

(17) Magn. Mor. I. 1. T. II. Opp. p. 108. A.

(18) Jambl. 54. Diog. Laërt. VIII. p. 588. Cic. Divin. I. 3. Diod. Sic. Excerpt. p. 555. Sect. 247.

viam ingrediendam iis auctor fuit. Orationes illas literis mandavit Dicaearchus, a quo illas acceptas nobis servavit Jamblichus. Et etiamsi non facile quis credat, has ita a Pythagora esse orationes habitas, probabile tamen est, eas non iisdem fortasse verbis sententias easdem continere, quae ad Pythagoricam de hoc loco Philosophiam pertineant.

Itaque cum juventutem ad reverentiam erga parentes et senes adhortaretur, sese ita existimare affirmabat, *Deos iis ignoscere qui pietatem erga parentes non minus quam Deorum religionem colerent, unde Homerum etiam Deorum Regem, Jovem Deorum hominumque patrem appellasse*; quod etiam Herculis exemplo confirmabat, *qui senioris dicto fuisset audiens et in Patris honorem, ludos Olympicos instituisset* (19).

Ad viros autem aetatis provectae cum de conjugii sanctitate dissereret, illos meminisse jubebat, *quod uxores inter libationes et Diis ipsis inspectantibus domum deduxissent* (20); quod quidem dictum eo valuisse opinor, ut ita vellet existimare maritos, Deos, testes sanctae illius, quam cum uxoribus contraxissent, societatis, harum mulierum esse patronos et veluti patres, qui maritorum in illas injurias tamquam severi judices vindicarent.

Erga mulieres vero haec ejus praestantissima fertur sententia, *uxori a marito surgenti, fas esse statim Deorum templa adire; ab alio viro autem, semper nefas* (21). Similem ejus de sacrificiis sententiam accepimus, *Deos sacrificantium mentem magis, quam sacrificiorum multitudinem, respicere* (22).

Sed praeter hasce adhortationes memoriae proditum est, Pythagoram statuisse, duo divinitus esse hominibus pulcherrima munera tributa, veritatem colere et aliis benefacere; et utrumque cum Deorum immortalium operibus posse confer-

(19) Jambl. Vit. Pyth. 38—40. Καὶ γὰρ τοὺς θεοὺς εἰκὸς ἐστι συγγνώμην ἂν ἔχειν τοῖς μηδενὸς ἧττον τιμῶσι τοὺς πατέρας. Καὶ γὰρ τὸ θεῖον παρ' αὐτῶν μεμαθήκαμεν τιμᾷν. Ὅθεν καὶ τὸν Ὅμηρον τῇ αὐτῇ προσηγορίᾳ τὸν βασιλέα τῶν θεῶν αὔξειν, ὀνομάζοντα πατέρα τῶν θεῶν καὶ τῶν θνητῶν.

(20) Ib. 48. Ἔτι δὲ τὴν γυναῖκα νομίζειν ἀπὸ τῆς ἑστίας εἰληφότας μετὰ σπονδῶν, καθάπερ ἱκέτιν ἐναντίον τῶν θεῶν εἰσηγαγεῖν εἰς οἰκίαν αὐτῶν (ex conjectura Küsteri.)

(21) Jambl. 55. Cf. 132. et Clem. Alex. Strom. IV. p. 619. Sunt, qui hanc vocem Theanoni Pythagoricae tribuant.

(22) Ib. 122.

ferri (23); divinam porro humanarum rerum procurationem ad virtutem colendam nobis apprime esse necessariam statuebat, quod quidem ejus discipuli postea ita amplificaverunt, ut dicerent maxime nobis idcirco hanc divinam justitiam ac rerum nostrarum curam prodesse, quod, cum homines natura sua ad insolentiam essent proclives, multisque animi perturbationibus huc et illuc rapi, mentesque eorum in diversas partes distrahi necesse esset, ideo illis divina veluti tutela et praepotenti regimine opus esse, ut inde et modestia et ordinis studium oriretur. Etenim unicuique suae sibi mutabilitatis atque inconstantiae conscio, semper ita religionis sanctitatem colendam esse existimabant, ut semper ei illa obversaretur cogitatio, Deos hominum actiones intueri (24).

Quid vero omnia Pythagorici sodalitii instituta? nonne aperte docent, illud Pythagorae firmiter fuisse persuasum, omnem virtutem religione niti et pietate? Frequentissime Deorum templa et lucos adibant Pythagorei, quotidie hymnos in illorum honorem canebant, et omnia omnino, quae fecerant, ad Deorum numen pie sancteque referebant: quo etiam pertinet illud, quod a Plutarcho de Pythagora accepimus, dixisse illum, neminem pura mente Deorum immortalium sedes adiisse, qui non melior et virtutis amantior inde rediret (25). Haec fere sunt ea, ex quibus pateat, Pythagoram existimasse, Providentiae et Justitiae divinae persuasionem ad studium virtutis pertinere, eaque illum usum esse ut homines ad justitiam, temperantiam, liberalitatem adhortaretur.

Reliquum est, ut dicamus de opinione quadam, quae a multis Pythagorae tributa est, a nonnullis ei denegata, ut a Meinersio in Historia Doctrinarum, et quae imprimis ad praesentem disputationem pertinet. Est haec illa de virtute et honestate opinio, qua homini probo illud tamquam finis proponatur, ut Deo similis evadat. Apud Platonem frequens hujus opinionis mentio fit, et sunt qui eum a Pythagora illud accepisse arbitrentur. Operae pretium est videre, quatenus hoc veritati congruat, hujusque opinionis apud Graecos initia et veluti incunabula investigare; praesertim, cum haec sit illa opinio, quae in recentiorum quorumdam philosophorum libris identidem decantata et magnifice jactata, etsi ratione et vera philosophia dignis-

(23) Aelian. Var. Hist. XII. 59.
(24) Jambl. 174 et 175.
(25) Plutarch. VII. 627. Ed. Reisk.

nissima, et purissimus adeo fons cum pietatis tum justitiae, ita perperam tamen a veteribus ac recentioribus Mysticis est adhibita, ut nihil pene ita absurdum, et ita summi Numinis divinitati ac religionis sanctitati contrarium possit excogitari, quod non ex hujus opinionis abusu fluxerit; cujus rei exemplum Schellingianum potest placitum afferri, conjunctionem cum Deo abitum esse in Nihilum (26).

Quod si scriptores de vita Pythagorae perlegamus, multa loca invenimus, ubi de hac similitudine et conjunctione cum Deo agatur: nullum vero apud scriptorem, ex antiquioribus quidem, cujus fide semper absque dubio vel suspicione niti possimus. Sed uti jam diximus supra, non omnino rejici merentur, quae a recentioribus in multis rebus parum fide dignis narrentur, si modo ea, quae narrent, ab iis non abhorreant, quae apud alios, quorum experta sit fides, reperiamus, nec ipsius Pythagorae institutis ac placitis contraria sint.

Ex iis, quos dico, auctoribus sunt, qui ita statuant, Pythagoram existimasse, animum hominis ex vita ante acta in hanc vitam migrasse, et corpore humano tamquam carcere inclusum esse, unde reditus ad veram vitam atque felicitatem non detur, nisi cum tota mente omnique animi impetu illud perficere conentur homines, ut Deo, omnium virtutum, omnis excellentiae ac perfectionis origini atque causae, similes evadant non solum, sed cum eo etiam arctissime conjungantur.

Apud Porphyrium legimus, Pythagoram statuisse, *veritati imprimis studendum esse: id enim solum efficere, ut homines Deo similes evadant* (27): et apud Jamblichum, Pythagoreos *crebre se invicem adhortari, ne Deum ipsis inhabitantem divellerent. Omne enim eorum circa amicitias studium et verbis et factis ad divinam naturarum commixtionem, ad conjunctionem cum Deo, et ad divinae mentis communionem spectare* (28). Porro illud apud

(26) Cf. Borger de Mysticismo, C. II. Sect. I.

(27) Porphyr. 41. Τοιαῦτα παρῄνει (sc. ὁ Πυθαγόρας) μάλιστα δ' ἀληθεύειν. Τοῦτο γὰρ μόνον δύνασθαι τοὺς ἀνθρώπους ποιεῖν θεῷ παραπλησίους. Cf. Stob. Serm. Tit. IX. p. 114. Πυθαγόρας ἐρωτηθεὶς, τί ποιοῦσιν ἄνθρωποι θεῷ ὅμοιον, ἔφη, ἂν ἀληθεύωσιν.

(28) Jambl. 240. Παρήγγελλον γὰρ θαμὰ ἀλλήλοις, μὴ διασπᾷν τὸν ἐν ἑαυτοῖς θεόν. Οὐκοῦν εἰς θεοκρασίαν τινὰ, καὶ τὴν πρὸς τὸν θεὸν ἕνωσιν, καὶ τὴν τοῦ νοῦ κοινωνίαν, καὶ τὴν τῆς θείας ψυχῆς, ἀπέβλεπεν αὐτοῖς ἡ πᾶσα τῆς φιλίας σπουδὴ δι' ἔργων τε καὶ λόγων.

apud Anonymum, cujus fragmenta servavit Photius: *Tribus modis Pythagorei se ipso meliorem evadere hominem affirmabant:*

Primo, consuetudine cum Diis. Necesse est enim, illum, qui Deos adeat, omni se tunc quidem vitiorum labe abstinere, et Diis sese quam simillimum praestare.

Secundo, benefaciendo. Nam hoc Dei proprium est, et, si hoc officio fungamur, Deum imitamur.

Tertio, moriundo. Nam, si animus quamdiu in hoc corpore vivat, ab illo paullulum separatus jam melior evadat, et in somniis et deliriis morborum divinationis fiat particeps, multo sane praestantior fiat necesse est, ubi penitus a corporis vinculis liberetur (29).

Cum hoc loco conferri licet illud quod apud Porphyrium invenimus: *Philosophiam profitebatur, cujus erat finis mentem nobis inditam ex talibus impedimentis vinculisque exuere atque in libertatem vindicare: absque eo enim nemo unquam sanum quidquam aut verum addisceret, nec ullius sensus beneficio perciperet* (30). Quae hoc loco impedimenta dicit, satis patet esse corporis vincula; porro instrumenta hujus purgationis mathematicas esse disciplinas affirmat, quae nempe mentis veluti oculos a rebus corporeis ad invisibilium et aeternarum rerum contemplationem avocent. Idem locus iisdem fere verbis invenitur apud Jamblichum: sed ibi finis ille tamquam incitamentum ad fortitudinem proponitur, qua virtute tamen etiam animi perturbationum ac cupiditatis repressionem intellexisse videtur (31).

Denique apud Jamblichum literis proditum invenimus: *Omnia, quae Pythagoras et ejus discipuli de iis definirent, quae in officio perfungendo vel*

(29) Anonym. apud Phot. 5. Ἔλεγον δὲ τὸν ἄνθρωπον αὐτὸν ἑαυτοῦ βελτίω κατὰ τρεῖς τρόπους γίνεσθαι. πρῶτον μὲν τῇ ὁμιλίᾳ τῇ πρὸς τοὺς θεούς· ἀνάγκη γὰρ, προσιόντα αὐτοῖς, κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ χωρίζεσθαι αὐτὸν πάσης κακίας, εἰς δύναμιν ὁμοιοῦντα ἑαυτὸν τῷ θεῷ. δεύτερον ἐν τῷ εὖ ποιεῖν· θεοῦ γὰρ τοῦτο, καὶ θείας μιμήσεως. τρίτον, ἐν τῷ ἀποθνήσκειν· εἰ γὰρ κατὰ πόσον τι ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος, ἐν τῷ ζῇν τὸ ζῶον, χωριζομένη βελτίων γίνεται ἑαυτῆς ἔν τε τοῖς ὕπνοις, κατὰ τοὺς ὀνείρους, καὶ ἐν ταῖς ἐκστάσεσι τῶν νόσων, μαντικὴ γίνεται, πολλῷ μᾶλλον βελτιοῦται, ὅταν τέλεον χωρισθῇ ἀπὸ τοῦ σώματος.

(30) Porphyr. Vit. Pythag. 46. Φιλοσοφίαν δ᾽ ἐφιλοσόφησεν, ἧς ὁ σκοπὸς, ῥύσασθαι καὶ διαλευθερῶσαι τῶν τοιούτων εἰργμῶν τε καὶ συνδέσμων τὸν καταπεχωρισμένον ἡμῖν νοῦν, οὗ χωρὶς ὑγιὲς οὐδὲν ἄν τις οὐδ᾽ ἂν κατίδοι δι᾽ ἡστινοσοῦν ἐνεργῶν αἰσθήσεως.

(31) Jambl. Vit. Pythag. 228.

vel facienda vel omittenda essent, ita haec ab illis esse descripta, ut ad consuetudinem cum Deo tenderent, et principium, ad quod omnis eorum vita describatur, esse: Deum sequi (32).

Negari quidem nequit multa, quae retuli, posteriores Pythagoreos et Platonicam scholam admodum redolere, nec horum, quos laudavi scriptorum auctoritate ita niti audeam, ut omnia mihi dubia erepta esse affirmem. Nam testimonia, quae attuli, non inveniuntur nisi in iis partibus operum a Jamblicho et Porphyrio conscriptorum, quae talibus auctoribus debentur, qui fabulis et commentis narrationes suas commiscuerunt. Sed etiamsi hoc negari nequit, tamen non minus inficias ire possumus, eosdem tales etiam Pythagorae sermones tribuere, quos si in oratione ad Crotoniatas legeremus, illos pro germanis habere non] dubitaremus. Ea v. c.', quae locum supra allatum apud Jamblichum sequuntur de bonis, a Deo petendis, et de iis agendis, quae Deo grata sint. Et si quaeramus, nonne fieri posset, ut haec revere Pythagorae tribuenda essent, et utrum tales opiniones alienae sint a Pythagorae institutis ac disciplina, neque hoc profecto negare me velle profiteor.

Constat quidem inter omnes, Pythagoram metempsychosin vel animorum migrationem statuisse (33). Et si hoc verum est, quaenam tandem sit causa, cur disciplinae Pythagoreae repugnaret, hunc animum corporis veluti vinculis inclusum esse contendere? Et quare probabilitati repugnet, Pythagoram, qui in ipsis illis ad Crotoniatas orationibus a Deorum cultu et religione gravissima desumsisset argumenta, quibus ad virtutem cives excitaret, hanc etiam discipulis suis tamquam optimam proposuisse viam, qua ad pristinam libertatem redirent, ut Deum sequerentur, Deoque similes evadere omni animi conatu viribusque niterentur?

Sed praeterea habemus testimonium Alexandri Polyhistoris, auctoris gravis

(32) Jambl. 137. Ἅπαντα ὅσα περὶ τοῦ πράττειν, ἢ μὴ πράττειν διορίζουσιν, ἐστόχασται τῆς πρὸς τὸ θεῖον ὁμιλίας (v. ὁμολογίας), καὶ ἀρχὴ αὕτη ἐστὶ. καὶ βίος ἅπας συντέτακται πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῷ θεῷ, καὶ ὁ λόγος αὐτὸς, ταῦτα ἐστὶ τῆς φιλοσοφίας. Cf. 86. et Kusteri adnotatio. — Cf. Stob. Eclog. Mor. c. VII. p. 64. Ed. Heeren. Σωκράτης, Πλάτων ταυτὰ τῷ Πυθαγόρᾳ τέλος ὁμοίωσιν θεοῦ. — Nec fortasse omittendum Themistii testimonium, Pythagoram statuisse Dei esse imaginem hominem, Or. XV. p. 194. B. quo fortasse utebatur tamquam argumento, quo ad conjunctionem cum Deo discipulos adhortaretur.

(33) Diog. Laërt. VIII. 36. Herod. II. 81. Porphyr. de Vit. Pyth. 19. Cf. ampla Rittershusii adnotatio ad h. l. et multi alii scriptores.

vis et antiqui, qui affirmat, Pythagoram statuisse, animum esse *particulam aetheris* (34): *Deos autem hujus aethereae naturae prae caeteris participes esse* (35), et hujus communis originis ergo, *hominibus esse cum Diis cognationem* (36). Hujus vero animi vincula cum *venis et arteriis et nervis constare dicat, eumque, si purus fuerit ac purgatus, in sublime evehi, impuros vero animos nec illis nec sibimet ipsis appropinquare, sed indissolubilibus vinculis a furiis constringi* (37), cur tandem Pythagorae ea, quae supra de animo, corporis quasi carcere incluso, ejusdemque reditu ad felicitatem attulimus, tribui non possent? Reditus ad suprema loca aethere plena et ab hoc crasso et frigido aëre liberata, manifeste est reditus ad Deos, quos ibi sedem habere statuebat (38), et cum purus tantum animus ac bonus, auctore Pythagora, ad Deum redeat, quidni illum hoc tamquam virtuti finem proposuisse statuamus, similem fieri Deo, et ad eum redire?

Quod si igitur breviter ea, quae de Pythagora, dicta sunt, memoria repetamus, videmus interiorem Ethicae disciplinam, quae principia atque initia doctrinae complectitur, ab eo ad numeros omnem relatam fuisse, et idcirco magis ad esotericam disciplinam, ad obscuriorem certe moralis philosophiae partem pertinere. In praeceptis vero et adhortationibus ad virtutem, opinionibus de divina natura et providentia usus est. Etenim statuebat Deum intelligentem sapientem et justum hominum bene et male facta intueri, eaque in alia vita, praesertim post mortem corporis, et remunerare et punire; hominum animos immortales ea parte, quae ex divina natura derivata esset, si impuri mansissent, vel a furiis constringi, vel in aliorum animantium corporibus concludi; puros vero in locum altissimum evehi. Et hac quidem

(34) Ap. Diog. Laërt. VIII. p. 584. *εἶναι δὲ τὴν ψυχὴν ἀπόσπασμα αἰθέρος.*

(35) Vid. infra ad not. (6).

(36) Ib. *Καὶ ἀνθρώπων εἶναι πρὸς θεοὺς συγγένειαν κατὰ τὸ μετέχειν ἄνθρωπον θερμοῦ, διὸ καὶ προνοεῖσθαι τὸν θεὸν ἡμῶν.*

(37) Ib. p. 586. *δεσμά τε εἶναι τῆς ψυχῆς τὰς φλέβας, καὶ τὰς ἀρτηρίας, καὶ τὰ νεῦρα.* et paulo post: *καὶ ἄγεσθαι μὲν τὰς καθαρὰς ἐπὶ τὸν ὕψιστον, τὰς δὲ ἀκαθάρτους μήτε ἐκείναις πελάζειν, μήτε ἀλλήλαις, δεῖσθαι δ' ἐν ἀῤῥήκτοις δεσμοῖς ὑπὸ ἐριννύων.* Cf. Wyttenb. in Disp. de Immort. anim. Teyl. Genootsch. T. IV. p. 14.

(38) Ib. p. 583. *Τὸν δὲ ἀνωτάτω* (scil. *ἀέρα*) *ἀεικίνητόν τε εἶναι καὶ καθαρὸν, καὶ ὑγιᾶ· καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ ἀθάνατα, καὶ διὰ τοῦτο θεῖα.* Cf. porro Theodoret. T. IV. Serm. V. p. 544. C. Max. Tyr. Diss. XVIII. p. 286. Cic. Senect. 23. Consol. in fragm. post edit. Ernest. p. 154.

dem doctrina frequenter in adhortationibus ad virtutem atque honestatem ita usus est, ut ostenderet optimum quemque Diis esse carissimum, ideoque sapientis esse et probi viri, quam maxime possit, efficere ut Deo similis evadat, et ex hujus corporis vinculis ad eum, eique propriam aetheream sedem redeat.

De Pythagorae discipulis pauca sunt, quae ad nostram pervenerint notitiam, pauciora etiam quae indubitata nitantur auctoritate. Antiquissimorum certe fragmenta tam dubiae sunt auctoritatis, ut quae ex iis afferri possunt illis fere Pythagorae discipulis, quorum sub nomine feruntur, tribuere non audeam. Ea tamen, de quibus dubitatur, praetermittere omnino fas non est, nisi certo constet, illa non ad veterum philosophorum scholas, sed ad recentiorum disciplinam pertinere.

De Timaeo Locro litem inter Tiedemannum et Meinersium aliosque dirimere, meum non est, nec omnino hujus loci, etsi Meinersii argumenta, quo Timaei Locri de Anima mundi librum post Platonem demum confectum esse ostendat, non probare nequeo (39); sed praeterea nihil in hoc libello reperitur, ad nostram quidem quaestionem pertinens, quod non apud Platonem inveniamus.

Ita etiam non est, quod de Ocelli Lucani libro dicamus, (etsi et de ejus antiquitate dubito) nam totus in physico versatur argumento: et quae ejus de harmonia in universo, ejusque causa, Deo, apud Stobaeum fertur sententia, ei non magis fidendum existimo. Ibi autem Deum et legem a se invicem segregare videtur, quod secus plerique alii fecerunt philosophi (40).

Item magis ad physica pertinent fragmenta Alcmaeonis, Archytae, caeterorum apud Stobaeum in Eclogis et apud Simplicium in Commentario ad Physica Aristotelis, uno Aresae loco excepto (41), qui tamen nihil continet, quod ad nostram quaestionem faciat.

At vero praetermittere non possumus fragmenta, Pythagoreis tributa in Stobaei Floriiegio, *adversus improbos Deorum leges non scriptas institutae*

(39) Geschichte der Wissensch. cet. T. I. p. 587—595. Cf. Ast, Platons leben und schriften p. 370 sq. De fragmentis Onatae et Theanus vid. Heerenii diss. de fontibus Eclogarum Stobaei T. II. p. 207 et 217.

(40) Eclog. Phys. C. XIV. 2. Cf. Cudworth. Syst. Intell. p. 475.

(41) Eclog. Phys. C. LII. 23.

tae sunt, quae malam sortem ac poenam iis inferant, qui iis non obediant, parentes cum sint ac veluti principes legum scriptarum et institutionum, quae vigent inter homines (42). Haec Archytae tribuuntur. Diotogeni Pythagoreo locus gravissimus apud eumdem Stobaeum adscribitur, ubi Deus tamquam exemplum boni regis proponitur (43). Quemadmodum Deus inter praestantissima naturae excellit, ita etiam regem inter homines excellere oportet: quemadmodum Deus hominibus benefacit, ita etiam regem civibus benefacere oportet, et ita propius ad Deum accedere. *Jupiter enim augustus est et honore dignus propter virtutis excellentiam: benignus et utilis quod beneficia conferat, et in Deos ac homines munera collocet; metuendus, ut qui malos puniat, omnesque gubernet ac regat; fulmen manu tenet, majestatis signum: propter haec omnia meminisse oportet, regnum ad l ei similitudinem institui debere* (44). Idem argumentum tractatur in fragmentis Sthenidae et Eophantae, non minus lectu dignis, sed longioribus quam ut hoc loco integra exhibeantur. Omnino regiarum virtutum omnium Deus tamquam exemplum et norma proponitur, et vero etiam eodem sensu, quo jam antea apud Pythagoram, scilicet tamquam parens ac sustentator generis humani: quem ut patrem erga liberos, ita erga homines affectum esse, hi philosophi testantur. *Hanc ob causam*, inquit Sthenidas, *Deus existimatur primus esse parens Deorum atque hominum, quoniam omnibus sibi subjectis benignum se praebet nec umquam a procuratione sua ac gubernatione cessat*, caet. (45). Benevolentia et amor tamquam validissima

(42) *Πονηρῶν ἀθέων νόμοι θεῶν ἄγραφοι ἀντινομιζόμενοι, πονηρὰν μοῖραν καὶ ζημίας τῷ μὴ πειθομένῳ διδόντες, πατέρες καὶ ἡγεμόνες τῶν γεγραμμένων νόμων καὶ δογμάτων ἀνθρώποις τεθέντων.* Stob. Floril. Tit. XLI. p. 280.

(43) Ib. Tit. XLVI. p. 330.

(44) Stob. Floril. Tit. XLVI. p. 331. *Καὶ γὰρ οὗτος σεμνός τέ ἐστι καὶ τίμιος διά τε τὰν ὑπεροχὰν καὶ τὸ μέγεθος τᾶς ἀρετᾶς· χρᾶστος δὲ διὰ τὸ συνεργετικός τε ἦμεν, καὶ ἀγαθοδότας ἀνδρῶν τε θεῶν τε· δεινὸς δὲ διὰ τὸ κολάζειν τὼς ἀδικέοντας, καὶ κρατεῖν, καὶ κυριεύειν πάντων· ἔχει δὲ καὶ τὸν κεραυνὸν μετὰ χεῖρα σύμβολον τᾶς δεινότατος. ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις μναμονεύειν δεῖ, ὅτι θεόμιμον ἐντι πρᾶγμα βασιλεία.*

(45) Stob. Floril. Tit. XLVI. p. 332. *νενομίχθαι τὸν Θεὸν πατέρα μὲν θεῶν πρῶτον, πατέρα δὲ ἀνθρώπων ἦμεν, ὅτι ἤπιος πρὸς πάντα τὰ ὑπ' αὐτῷ γενόμενα ἐντι, καὶ ἀμελεύμενος τᾶς προστασίας οὐδέποκα παύεται, οὐδὲ ἤρκεσται τοῦ ποιητὰς μόνον γεγονέναι, ἀλλὰ καὶ τροφεὺς, διδάσκαλός τε τῶν καλῶν πάντων, καὶ νομοθέτας πέφυκε πᾶσιν ἐπίσας.* Cf. fragm. Callictatidae Tit. LXXXIII. p. 433.

ma vincula laudantur societatis ejus, qua Deus et homines conjungantur. Hic porro etiam illa similitudo Dei, tamquam summi atque finis, quo nihil nec melius nec dignius sit, commendatur. *Deus, se ipsum hominibus imitatione dignum tamquam exemplum praebens, omnibus desiderium et aemulationem indidit excellentem suam naturam imitandi* (46). Sed de his fragmentis, quae apprime ad nostram quaestionem faciunt, utrum germana sint, et quaenam auctorum, a quibus profecta dicuntur, aetas sit, non satis certum est (47). Omnino quaeri possit, an non omnia haec Pythagoreorum fragmenta, pleraque certe, ad Platonis aetatem pertineant. Nonnulla certe ex Academia videntur profecta: illud v. c. Hippodami, ubi dicitur Deus natura bonus esse et felix: homo non natura sed arte ac disciplina; et illud Euryphami, ubi distinguitur facultas secundum virtutem vivendi a Deo hominibus data, et voluntas quae accedere debet, ut virtutem adipiscantur (48). Neque ex his tamen singularibus sententiis haec fragmenta ad aetatem seriorem pertinere concludam, sed ex omni orationis tenore; ex dialecto vero Dorica non satis demonstrari, haec fragmenta ad Pythagorae tempora pertinere, satis omnibus notum est; sed hujus rei argumenta proferre, ad praesentem scriptionem non pertinet. Referre tamen opus erat horum virorum placita, quoniam, sive ad Pythagorae sive ad Platonis scholam pertineant, philosophi certe fuerunt ex Graecorum numero.

In fragmentis a Thoma Galeo collectis partim ex Stobaeo quoque et ex Jamblicho, ad calcem nonnullarum Diogenis Laërtii editionum additis, nihil quod ad nostram quaestionem pertineret inveni, praeter unum alterumve locum ubi lectores admonet auctor, ut Deum sequantur (49) secundum cognitam Pythagoreorum sententiam, et ubi reverentiam Dei commendat tamquam incitamentum ad virtutem et pietatem (50). Apud Stobaeum in Eclogis moralibus Critonis cujusdam Pythagorei fragmentum invenimus, ubi legimus, Deum hominem sic fabricatum esse, ut ei nec potestas nec voluntas deesset eligendi ea, quae essent honesta. Mentem a Deo accepit, qua illum veluti

in

(46) Ib. p. 333. παρέχων ἀξιομίμητον αὑτὸν ζᾶλον ἐντίθησι πᾶσι τᾶς αὐτῶ φύσιος.
(47) Cf. Heeren de fontibus Eclog. Stobaei p. 195.
(48) Stob. Floril. Tit. CI. p. 478 et 480.
(49) Ex Hippod. fragm. Diog. Laërt. ed. Casaub. p. 808.
(50) Ex Cliniae fragm. ib. p. 841.

intueretur: nam sine Deo optimum et praestantissimum nemini licet consequi, nec absque mente Deum conspicere (51).

Fortasse etiam huc referri possint loca Philolai, quem multa praeclara de Diis colendis tradidisse auctor est Proclus (52), et Theanus, (si revera iis tribui debeant) apud Clementem Alexandrinum, de animo luendae poenae causa corpori incluso, et de immortalitate animi tamquam honestorum et proborum solatio (53). Ex hisce enim colligi possit, hosce scriptores ita usos esse notione providentiae Divinae tamquam incitamento ad virtutem colendam, ut ostenderent, Deos immortales aliam vitam probis proposuisse, in qua libertate et virtutis remuneratione fruerentur, et ubi mali aliis denuo corporibus inclusi poenas darent: sed cum pauca nobis antiquitas tradiderit de ratione, qua hae sententiae ab auctoribus ipsis prolatae sint, certi affirmare nihil audemus.

Disertius hoc significavit Empedocles, quem plerumque Pythagorae placita ferunt secutum, etsi ad ejus scholam proprie non pertineret. Hic non tantum docebat animum luendae poenae causa cum hoc corpore esse conjunctum (54): sed etiam, si sancte justeque vixissent homines, eos post mortem fore beatos in Deorum immortalium convivio (55), vel et ipsos Deos fieri (56); itemque daemonas, qui peccaverint, poenas dare (57).

Utrum

(51) Stob. Eclog. Mor. c. VIII. 24. ὁ γὰρ θεὸς οὕτως τεχνάσατο τὸν ἄνθρωπον, δηλούμενος αὐτὸν μήτ' ἀδυνάτως ἔχειν ποτὶ τὰν τῶν καλῶν ὁρμὰν, μήτε μὰν πάλιν ἀπροαιρέτως. caet.

(52) Procl. in Plat. Theol. I. c. 6. p. 13.

(53) Strom. III. p. 518. ed. Pott. Cf. Theodoret. T. IV. Serm. V. p. 544. D.

(54) Steph. Poës. Philos. p. 25.

Ἔστι τι ἀνάγκης χρῆμα θεῶν ψήφισμα πάλαιον·
Εὖτε τις ἀμπλακίῃσι φόνῳ φίλα γυῖα μιήνῃ,
Δαίμονες οἵτε μακραίωνες λελόγχασι βίοιο,
Τρὶς μὲν μυρίας ὥρας ἀπὸ μακάρων ἀλάλησθαι.

Cf. etiam p. 140. et Jambl. ap. Stob. Lib. I. c. 52. p. 894. ed. Heeren.

(55) Clem. Alex. Strom. L. V. p. 722. ap. Steph. p. 28.

Ἀθανάτοις ἄλλοισιν ὁμέστιοι ἔν τε τραπέζαις
Ἔοντες ἀνδρείων ἀχέων ἀπόκληροι, ἀτηρεῖς.

(56) Ib. IV. p. 632. ap. Steph. p. 27.

Εἰς δὲ τέλος μάντεις τε καὶ ὑμνοπόλοι καὶ ἰητροὶ
Καὶ πρόμοι ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισι πέλονται·
Ἔνθεν ἀναβλαστοῦσι θεοὶ τιμῇσι φέριστοι.

Utrum vero statuerit, haec ita a Deo ordinata esse, non satis patet, nec dici potest, utrum ex hisce daemonum et humani animi poenis exhortationes ad virtutem petiverit, et a vitio homines deterrere conatus sit: difficillimum utique est in tanta veterum scriptorum clade certi quid pronuntiare, praesertim cum caetera Empedoclis de Deo, et providentia placita in magna versentur ambiguitate. Veteribus poëtis similis, Diis illud tribuisse videtur, ut ab hominibus stultitiam et impietatem arcerent (58); et cuique daemonas quosdam adstare statuit, qui ad bene vel male faciendum eos secum raperent (59). Caeterum Empedoclis de Deo et necessitate sententias, de mundo necessaria vi concordiae et discordiae orto, de casu, de mente res omnes, animalia et plantas adeo permeante, referre non attinet. Sunt enim obscura, nec satis certo ex iis aliquid ad praesentem quaestionem illustrandam deduci potest.

Epicharmi, itidem Pythagorei praeclari, a Clemente Alexandrino memorantur versus, quorum sententia huc redit: *si fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus: superius manet in coelo spiritus* (60); et alia hujusmodi: *nihil potest Deum latere, fac, ut id mente imbibas. Ille nos per se intuetur, omnia perficere potest* (61).

Denique Deus *laborantibus omnia tribuit* (62).

Denique inter Pythagorae discipulos memorantur Zaleucus, Charondas, Zalmoxis vel Zamolxis, legislatores, ille Locrensium, Charondas Catanensium, hic Getarum. Tam parum certa est aetas, qua vixerint, ut nonnulli v. c. Zamolxin ante Pythagoram (63), alii ante eum vixisse statuant; quidam

(57) Stephan. Poës. philos. p. 24.
Αἰθέριον μὲν γάρ σφε μένος πόντονδε διώκει,
Πόντος δ' ἐς χθονὸς οὖδας ἀπέπτυσε, γαῖα δ' ἐσαῦθις
Ἠελίου ἀκάμαντος, ὁ δ' αἰθέρος ἔμβαλε δίναις,
Ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται, στυγέουσι δὲ πάντες.

(58) Ib. p. 20. (59) Ib. p. 25.

(60) Strom. IV. p. 640. Εὐσεβὴς νῷ πεφυκὼς οὐ πάθοις γ' οὐδὲν
Κακὸν κατθανών· ἄνω τὸ πνεῦμα διαμένει
Κατ' οὐρανόν.

(61) Ib. V. p. 708. Οὐδὲν ἐκφεύγει τὸ θεῖον· τοῦτο γιγνώσκειν σε δεῖ·
Αὐτὸς ἐσθ' ἁμῶν ἐπόπτης, ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν θεός.

(62) Stob. Serm. Tit. XXVII. p. 196.
Πρεπόντων πόνων πωλοῦσιν ἁμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί.

(63) Herod. IV. 96.

dam etiam Zaleucum ne extitisse quidem dicant (64). Nec tamen omnino praetermittenda videntur proömia legum, quae ad Zaleucum et Charondam referuntur in Stobaei Florilegio, ob rationes supra allatas. In Zaleuci proöemio legislationis veluti principium ac fundamentum a Deorum cultu et religionis sanctitate ducitur. Omnibus persuasum esse debere, ait auctor, Deos mundum gubernare, et omnium, quae nobis contingant, bonorum esse auctores, ideoque colendos. Optime vero hoc fieri honestate et virtute. Quemque igitur decere animum suum integrum ac purum ab omni vitiorum labe conservare; ab improbo enim homine Deum coli non posse. Omnes porro, inquit, meminisse oportet, Deos improbos punire, semperque ob oculos sibi ponere tempus illud, quo hanc vitam relicturi sint, quo tempore malos semper impietatum poenitentia invadat. Quod si vero a malis daemonibus ad injustitiam propellantur, patere iis Deorum templa et aras, quibus locis orare possunt, ut sese a Daemonum vi ac potestate Dii immunes praestent (65).

Ita etiam in proöemio Legis Charondae tributo Deus tamquam omnium rerum causa atque auctor proponitur, et idcirco praecipue a peccatis abstinendum esse dicitur, quod cum Deo societatis communione conjuncti simus: nihil enim injusti Deo inesse; suâ quemque temperantia sibi Deum propitium facere, Jovem hospitalem peregrinis tuendis, Deos vero indigetes magistratibus colendis revereri oportere cives; inferos denique Deos eo, ut in lugenda propinquorum morte immodicus dolor arceatur (66).

Quod si in hisce difficultatibus quidquam augurari liceat, nullum quidem fragmentum magis, quam hoc Charondae tributum, cum Pythagorica doctrina in Oratione ad Crotoniatas perspicua, et cum ejusdem aetatis opinionibus de Diis cultuque divino convenit.

Attingendum etiam Carmen aureum Pythagorae tributum. A viris doctis Pythagoreo cuidam tribuitur ex aetate Aristotelis. Sed praeterea, etsi praestantissima virtutis praecepta continet, non multum tamen, quod ad praesentem quaestionem faciat. Adhortatur poëta ad reverentiam erga Deos in ipsius carminis aditu; deinde ad preces adhibendas Diis; hanc religionem per-

(64) Cic. de Leg. II. De Zaleuco cf. porro Wesseling. ad Diod. Sic. XII. 20.
(65) Stob. Serm. Tit. XLII. p. 243. et Diod. Sic. XII. 20.
(66) Ib. p. 303 et 304.

perutilem esse dicit ad vitam prudenter regendam. Denique immortalitatem animi, imo conditionem divinae naturae similem, tamquam praemium sapientiae proponit (67).

SECTIO IV.

De Eleaticis.

Schola Eleatica non longo tempore post Pythagoricam in Italia condita est a Xenophane. Nec apud hos multum invenimus, quod ad nostram quaestionem faciat, quippe quos praecipue in Physicis versatos fuisse constat. Sed praeterea de ipsis horum Philosophorum de Deo sententiis magna inter doctos viros lis est. De Xenophanis primum placitis in magna dubitatione versamur: nam cum, auctore Diogene Laërtio, Homerum caeterosque poëtas exagitasset, quod humana ad Deos transtulissent, iisque cupiditates, iracundias, aliasque perturbationes tribuissent (1); et cum ipse apud Clementem Alexandrinum unum esse Deum statuat maximum, hominibus dissimillimum et forma et ingenii viribus (2), amicosque adhortetur, ut illum sanctis castisque verbis libationibusque colant, et ab eo, ut virtutis colendae facultas sibi praebeatur, rogent (3): eumdem tamen Deum sibi informavit rotundum et globosum, quem ita parum ab ipso mundo distingueret, ut diceret, omnia esse unum et hoc esse Deum (4). Ipse vero, quid sentiret, non plane enuntiasse vel voluisse videtur vel potuisse, nam opinioni mul-

(67) Vid. Carm. aur. in Poëtis Gnom. a Brunckio editis p. 107.

(1) Diog. Laërt. IX. p. 639. Sext. Emp. adv. Math. VIII. p. 341. B. apud Steph. Poës. phil. p. 36 et 37.

(2) Strom. V. p. 724. Steph. p. 36.

Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος,
Οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος οὐδὲ νόημα.

(3) Steph. Poës. phil. p. 38.

(4) Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. I. 33. III. 24. Diog. Laërt. IX. p. 640. Cf. Cic. Acad. IV. 37.

multum tribuit (5). In eadem opinionum confusione versamur de Parmenide, de quo dubitatur utrum Deum a materia sejunxerit; illum certe rotundum et ignea specie coronae similitudine finxerat (6), etsi tamen veterum poëtarum de Δίκῃ ultrice opiniones retinuit (7), eumdemque Deum aeternum, absque origine et fine, unicum et immotum esse dixit (8): item de Melisso Samio, qui plerumque Xenophanis videtur sententiam secutus (9) et, si Diogeni Laërtio credendum, de Diis nihil statuendum docuit, quod quales essent, intelligi non posset (10); de Zenone denique, qui, auctore Aristotele, Deum nec finitum nec infinitum, nec motum nec immobilem esse dixerat (11). Ita de hisce viris sententiae differunt, ut nonnulli eos inter Atheos numerent, alii pietatis laude extollant (7).

Rerum naturam investigare conati sunt hujus scholae philosophi et absurdissima de illa protulerunt placita: ad moralem disciplinam iila, quantum nos quidem scimus, non adhibuerunt: omnino tamen illam neglexisse, Parmenidem certe et Heraclitum, etiam affirmare non audeam, ob locum apud Plutarchum in libro adversus Colotem: *Etiamsi quis leges sustulerit, at Parmenidis tamen et Socratis et Heracliti et Platonis placita nobis reliquerit, multum aberit, quin nos invicem dilaniemus et ferarum more vivamus: Nam turpitudinem metueremus: Justitiam vero, Deos et bonos magistratus coleremus, daemonas vitae humanae tutores esse existimantes, nec ullum vel supra vel infra terrae superficiem aurum virtuti anteponentes; et facile libenterque ratione duce faceremus id, quod nunc inviti propter legem facimus* (13).

De-

(5) Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. II. 4. adv. Math. p. 280. A. ap. Steph. p. 35.

Καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ ἴδεν οὐδέ τις ἔσται
Εἰδὼς ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ὅσσα λέγω περὶ πάντων.
Εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπών,
Αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.

Cf. Mosh. ad Cudw. Syst. Int. c. IV. §. 20. not. 15. et Bayle Dict. Hist. et Crit. qui illum impietatis accusat. T. V. p. 564. not. B.

(6) Diog. Laërt. IX. p. 641. Pseudo-Orig. in Gronov. Thes. Antiq. T. X. p. 275.

(7) Sext. Emp. adv. Math. VII. p. 157. E. (8) Steph. Poës. Phil. p. 44.

(9) Aristot. Metaph. I. 5. (10) Diog. Laërt. IX. p. 644.

(11) De Dogm. Xenoph. Zenonis et Gorg. Opp. T. I. p. 943. A.

(12) Cf. Moshem. ad Cudworthi Syst. Int. c. IV. §. 21. not. 9. 10. 13.

(13) Plutarch. Moral. p. 635. Ἂν γὰρ τὶς ἀνελὼν τοὺς νόμους, τὰ Παρμενίδου καὶ Σωκράτους καὶ Ἡρακλείτου καὶ Πλάτωνος ἀπολίπῃ δόγματα, πολλοῦ δεήσομεν ἀλλήλους κατεσθίειν καὶ θηρίων βίον ζῆν· φοβησόμεθα γὰρ τὰ αἰσχρὰ καὶ τιμήσομεν ἐπὶ τῷ καλῷ δι-

και-

Democriti adeo quaedam fragmenta moralia exstant. At quisnam tandem fuit iste Democritus, qui ipse pene sibi de his rebus judicandi facultatem eripuit: primum, quoniam, Leucippo duce, praeter atomos, nihil certum ac verum esse statuit (14), et omnium rerum originem ex corpusculis illis, quae sibi opinionis errore vel insania potius quadam finxerat, non supremae cujusdam mentis vi ac ratione, sed vel necessitate vel casu quodam fortuito ad se invicem adactis, derivavit (15): porro, quoniam illud, quod caeteri miseris et probis viris calamitatum solatium ac refugium reliquerant, animorum inquam immortalitatem penitus sustulit (16). Etenim, ubi nulla causae intelligenti locus, ibi de morum disciplina, secundum nostram quaestionem, sermo esse nequit; aut si forte de Diis loquitur, ita Democriti comparata fuisse sententia videtur, ut homines naturae motus mutationesque contemplantes numen esse invidum quoddam statuere debere existimaret, quod metuerent et reformidarent, nequaquam vero diligerent. Attamen de moribus eum scripsisse (17), ex veterum scriptorum de eo testimoniis apparet (18); multaque adeo horum librorum fragmenta supersunt, sed nonnulla tam egregia et a Physica Democriti aliena ut vehementer dubitandum sit, utrum illi revera tribuenda sint. Fieri quidem posset, ut interdum bonitate naturae vinceretur, quod Cicero, de Epicuro, credo, lo-

καιοσύνην θεοὺς, ἄρχοντας ἀγαθοὺς, καὶ δαίμονας ἔχειν τοῦ βίου φύλακας ἡγούμενοι, καὶ τὸν ὑπὲρ γῆς καὶ ὑπὸ γῆν χρυσὸν ἀρετῆς ἀντάξιον μὴ τιθέμενοι καὶ ποιοῦντες ἑκουσίως διὰ τὸν λόγον, ἅ φησὶ Ξενοκράτης, ἃ νῦν ἄκοντες διὰ τὸν νόμον.

(14) Cf. Codworth. de aeternis justi et honesti notionibus Lib. I. C. 1. §2. et Moshem. not. 4. ubi ostenditur Democritum ad illam philosophorum familiam pertinuisse, qui justum natura esse negarent.

(15) Diog. Laërt. IX. p. 657 et 658.

(16) Stob. Ecl. Phys. c. LII. 39. et Serm. Tit. CXVII. p. 514. ap. Steph. Poës. phil. p. 178. Ἔνιοι θνητῆς φύσεως διάλυσιν οὐκ εἰδότες ἄνθρωποι, συνειδήσει δὲ τῆς ἐν τῷ βίῳ κακοπραγμοσύνης, τὸν τῆς βιοτῆς χρόνον ἐν ταραχαῖς καὶ φόβοις ταλαιπωρέουσι, ψεύδεα περὶ τοῦ κατὰ τὴν τελευτὴν μυθοπλαστέοντες χρόνου.

(17) Cf. ea, quae habet Moshemius ad Sext. Emp. locum, ubi haec Democriti traditur sententia in Cudw. Syst. Intell. p. 803.

(18) Diog. Laërt. IX. p. 659. Steph. P. P. p. 161 et 162. Cf. Stob. Ecl. Mor. c. IX. p. 406 et 408. Cicero tamen dicit, pauca ab illo de virtute dicta esse; et quomodo hac tanta veterum monumentorum clade in hujus Democriti scriptis vera et genuina a falsis et commentitiis secernamus? Cf. Cic. de Fin. V. 29.

loquens, postulabat, ut ei jus esset de moribus disputandi: attamen Democritus, quem magni fuisse ingenii virum constat, sibi repugnare non putandus est. Etsi igitur illum celebratam illam de *εὐσχημοσύνῃ* sive *εὐθυμίᾳ* sententiam tenuisse concedimus, quae ad Stoicorum pene severitatem informata est (19), nec quidquam tamen habet, quod Democriti disciplinae repugnet, etsi eum statuisse concedimus, nos hac perturbationum vacuitate cum Diis conjunctos esse, etsi ne hoc quidem vix (20); quomodo tamen ea, quae de Jovis omniscientia et providentia apud Clementem sub ejus nomine invenimus (21), quomodo illud *soli Diis cari, qui injustitiam oderint* (22), atomorum patrono tribuemus, qui praeter illas nihil certum nec verum esse statueret? quomodo illum statuisse arbitrabimur, Deos hominibus omnia bona concedere (23), qui totum mundum casu ortum esse statueret?

At vero, et huc iterum redeam necesse est, nihil apud hunc Democritum inveni, vel etiam exspectari jure potest de ratione inter Deos et homines, cujus ope hos vel ad honestatem vel ad felicitatem illam, quam in terroris metusque vacuitate poneret, sibi comparandam admoneret.

Idem fere de aliis hujus aetatis philosophis dici meretur. Heraclitus, qui Deum hujus universi veluti harmoniam instituisse statuit, eique varietates et dif-

(19) Stob. Ecl. Mor. c. VII. p. 74 et 76. *Δημόκριτος καὶ Πλάτων κοινῶς ἐν τῇ ψυχῇ τὴν εὐδαιμονίαν τίθενται. Γέγραφε δ' ὁ (Δημόκριτος) μὲν οὕτως ἐν τῷ περὶ εὐδαιμονίης ψυχῆς καὶ κακοδαιμονίης· Εὐδαιμονίη οὐκ ἐν βοσκήμασιν οἰκέει οὐδ' ἐν χρυσῷ, ψυχὴ δ' οἰκητήριον δαίμονος· τὴν καὶ εὐθυμίαν, καὶ εὐεστὼ, καὶ ἁρμονίαν, συμμετρίαν τε καὶ ἀταραξίαν καλεῖ· συνίστασθαι δ' αὐτὴν ἐκ τοῦ διορισμοῦ καὶ τῆς διακρίσεως τῶν ἡδονῶν· καὶ τοῦ εἶναι τὸ κάλλιστον καὶ συμφορώτατον ἀνθρώποις. δαίμων* h. l. significare videtur *felicitatem*. — Cf. porro pulcrum fragm. ap. Steph. p. 165. et Clem. Alex. Paedag. I. p. 100. Seneca valde laudat Democriti de tranquillitate librum, de Tranq. animi c. II. Aliter de hac *εὐθυμίᾳ* judicat Theodoretus, illam Epicureae voluptati similem esse censens. T. IV. Serm. XI. p. 64. B.

(20) Stob. Eclog. Phys. c. LII. 38. p. 920.

(21) Strom. V. p. 709. ap. Steph. P. P. p. 160.

(22) Steph. p. 165. *Μοῦνοι θεοφιλέες, ὅσοις ἐχθρὸν τὸ ἀδικέειν.*

(23) Stob. Eclog. Mor. c. IX. 4. De *προνοίᾳ* Democriti quid statuendum sit (Stob. Ecl. phys. c. V. 7.) satis inde patet, quod primum etiam *ἀνάγκη* appellatur, porro mundum effecisse dicatur, cujus ortum, secundum gravissima veterum auctorum testimonia, ceterum semper casui tribuit Democritus. Cf. Heeren ad locum Stobaei proxime laudatum.

differentias miscendo penitus indidisse (24), quod forte ita intelligendum, Deum materiae necessarias mutationes jam ab initio insculpsisse: Heraclitus, qui, etsi fato multa tribuit (25), providentiae tamen notionem non totam rejecisse videtur, et hoc fatum adeo de intelligentiae quodam ordine intellexisse (26), opiniones de divina natura et providentia interdum adhibuit ubi ad virtutem et sapientiam homines excitaret, ut testantur tum sententiae apud Clementem servatae, tum fragmenta aliunde etiam a Stephano in Poësi Philosophica collecta, ubi haec ei sententia tribuitur: *Omnes humanae leges a divina ortum ducunt* (27), et apud Clementem: *quomodo quis lateret id, quod ubicunque adest* (28)? sed si genuina sunt ea, quae ei tribuuntur a Porphyrio (29), aut statuendum erit ei non multum inter Deos et homines interesse videri, aut dicendum, Heraclitum Deum summum a caeteris Diis sive daemonibus distinxisse, ita ut horum ordinem humano generi similem faceret. Ibi enim legitur, Heraclitum statuisse, *Deorum mortem esse hominum vitam, hominum vitam vero mortem Deorum* (30), quod ita accipiendum videtur ut statueret Deos mortuos ad hominum vitam, homines mortuos ad Deos transire, ipsosque adeo Deos fieri (31). Quod si hoc de Daemonibus intelligendum est, nihil statuisset, in quo non cum Pythagora ei vel cum Platone adeo conveniret. Statuit etiam, animos improborum post mortem puniri ac purgari (32), at vero de Diis, tamquam harum poenarum auctoribus, nihil invenimus. Et vero etiam de Heraclito quid cogitandum dictu videtur difficile. Quid enim de superioribus illis sententiis dicendum, ubi legi-

(24) Steph. Poës. phil. p. 138.

(25) Diog. Laërt. IX. p. 631. Pseudo-Plut. de plac. phil. I. 27.

(26) Stob. Ecl. phys. c. VI. p. 178. et Heeren ad h. l. Cf. Olearius apud Mosh. in Cudworth. Syst. Intell. p. 457. not. 49.

(27) Steph. Poës. phil. p. 136. Τρέφονται γὰρ πάντες οἱ ἀνθρώπινοι νόμοι ὑπὸ ἑνὸς τοῦ θείου. κρατεῖ γὰρ τοσοῦτον, ὁκόσον ἐθέλει, καὶ ἐξαρκεῖ πᾶσι καὶ περιγίνεται.

(28) Strom. II. p. 229. τὸ μὴ δῦνον ποτὲ πῶς ἄν τις λάθοι;

(29) De Antro Nympharum c. X.

(30) Cf. Max. Tyr. Diss. XXIX. p. 304. ed. Heins. et Steph. Poës. phil. p. 135. Ἄνθρωποι, θεοί· θεοί, ἄνθρωποι· λόγος γὰρ αὐτός.

(31) Cf. Wyttenb. in Disp. de stat. anim. post mortem corporis. Teyl. Genootsch. T. IV. p. 35.

(32) Clem. Alex. Strom. V. p. 549. D. cujus loci justam interpretationem vid. apud Wyttenb. l. l. p. 36.

gimus, illum statuisse, mundum non a Deo creatum esse, sed semper fuisse et semper futurum esse (33): at tantas componere lites, nostrum non est. Quod si nobis librum, quem in Dianae templo deposuit, non invidisset fortuna, satisque nobis esset sagacitatis datum, ut ejus sensum enucleare possemus, plura fortasse et de nostra adeo quaestione adjicere possemus. Plerumque vero in physicis videtur fuisse versatus: et Epistolam ad Hermodorum commentitiam esse, non male contendit Moshemius (34).

Ac de antiquis quidem Graecorum Philosophis satis dictum arbitror. Et si quaerimus, quaenam ex supra dictis pro disputatione nostra sit conclusio petenda, non vereor, ne vobis, Viri Eruditissimi, aetatis illius philosophiam parvi nimis aestimare videar, cum ad primam quaestionis partem, *utrum notionem divinae existentiae ac providentiae in principiis moralibus explicandis philosophi ante Socratem adhibuerint*, respondeam: *illos*, uno Pythagora et quibusdam fortasse ex ejusdem schola philosophis exceptis, *moralem doctrinam neglexisse; in iis* vero, *quae ad nostram aetatem pervenerint*, *doctrinae moralis praeceptis*, *rarissime ab hisce philosophis Deorum esse notionem adhibitam; neque etiam* ex iis, quae de poenis et praemiis post hanc vitam tradiderint, demonstrari satis firmiter posse, ita *illis fuisse persuasum*, *poenas* illas *atque remunerationes a Diis tamquam justitiae patronis institutas esse*, id certe in iis, quae nobis supersint, fragmentis non diserte ab illis significatum esse.

SECTIO V.

De Socrate.

Quum igitur in morali philosophiae parte minus esset a superioribus philosophis operae positum, exstitit vir, cum morum disciplina, tum ipsis mori-

(33) Steph. Poës. phil. p. 132. *Κόσμον τὸν αὐτὸν ἁπάντων οὔτε τις θεῶν οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησεν· ἀλλ' ἦν ἀεὶ, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται, πῦρ ἀείζωον ἁπτόμενον μέτρῳ, καὶ ἀποσβεννύμενον μέτρῳ.*

(34) Ad Cudworth. Syst. Int. p. 457. not. 49.

ribus egregius, Socrates Atheniensis. Numquam illam Ciceronis vocem, *Socratem philosophiam e coelo devocasse*, magis intellexi, quam cum hac quaestione excitatus, omnia, quae de veterum Philosophorum Ethica nobis tradita essent, studiosius inquirerem. Nam cum ab illorum jejunitate et paupertate ad copiosam et luculentam Socraticam doctrinam accederem, satis mirari non potui divinum hujus sapientissimi hominis ingenium, qui ex tanta vanitate, qua rerum inutilium vel certe obscurarum investigationem verae philosophiae anteponerent homines, ad sanam eamque fructuosissimam rationem eos reduceret, et doctrinae, quam profitebatur, excellentiam non gloriae splendore, sed utilitate metiretur. Nec superiores modo in hoc genere superavit Socrates: suae etiam aetatis et regionis philosophos, vel, quemadmodum ipsi sese opinionis vanitate inflati appellabant, sapientes longo post se intervallo reliquit. Hi quidem tantum abfuerunt, at moralem disciplinam negligerent, ut sese virtutem adeo docere profiterentur. Operae pretium existimarem me facturum, si hanc doctrinam peculiari capite exponerem, nisi de illa pauca nobis innotuissent, quibus satis niteremur; et praeterea satis cognitum est, quam parum Sophistae Diis in hac disciplina tribuerint. Protagorae de Diis pervulgata vox est: *De Diis nescio, utrum sint, nec ne: multa enim sunt, quae me impediant scire, cum rei obscuritas, tum vitae humanae brevitas* (1). Et cum statueret, omnia, quae cuique viderentur, vera esse, inde sequi debebat, quae singulis bona viderentur et virtuti convenientia, ea reverà esse bona; ita ut omnia moralis disciplinae fundamenta tollere planeque evertere videatur (2). Prodicus et Critias apud Sextum Empiricum (3) totam, ut ait Cotta apud Ciceronem (4), de Diis immortalibus opinionem fictam esse dicebant ab hominibus sapientibus reipublicae causa, ut quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret. Et in universum Sophistarum habebatur propria sententia, aut Deos omnino negare, aut certe ab illis humanum genus negligi existimare (5). De elegantissima Prodici fabula, a Xenophonte tradita, non loquor, quippe quam ma-

(1) Diog. Laërt. IX. p. 662. Philostratus Vit. Sophist. I. 10.
(2) Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. I. 32.
(3) Adv. Mathem. VIII. p. 311 B. et 318 et 319.
(4) N. D. I. 42.
(5) Stob. Serm. Tit. XLI. p. 262.

magis ostentationis ac lucri causa, quam ad virtutem commendandam fictam esse accepimus (6).

Et haec quidem nobis sufficiunt, quibus satis certo sciamus, nihil nobis in hac quidem disputatione cum istis hominibus esse commune. Nec tamen, et id mihi hoc loco animadvertere liceat, adeo impudentes illos Sophistas fuisse existimo, ut palam injustitiae prae se ferrent doctrinam, quod quidem a doctissimis quibusdam viris affirmatum video. Etenim illud probe animadvertendum, pleraque, quae nobis de morali Sophistarum doctrina innotuerunt, nos a Platone accepisse et ab Isocrate (7), optimis illis quidem viris, sed quorum alter Sophistis esset infestus, alter saepius ab illis exagitatus et multis molestiis vexatus, ita ut, etiamsi fieri possit, ut multa ab iis vera narrata sint, minime tamen nobis ubique eorum fide nitendum sit, praecipue cum agatur de fama hominum, qui saepe reipublicae admodum profuerint, et quos praeclarissimis muneribus a civibus suis ornatos fuisse constet. Et haec etiam ratio erat, cur pauca nobis de illis cognita esse affirmarem. Nec vellem Meinersium (8), virum egregium, moralem Sophistarum doctrinam ex ficta Glauci de injustitia oratione petiisse, aliisque similibus sermonibus, quos Plato Sophistis tribuit. Non illud equidem nego fieri potuisse, ut ipsi libentius injustitiam quam virtutem coluerint, et fortasse etiam declamationes ab illis in laudem injustitiae esse habitas, sed exercitii causa, et ut ostenderent, quid dialectica efficere posset ad deteriorem causam dicendo meliorem reddendam; nam si aperte injustitiam commendare ausi fuissent, quorsum tandem omnes illae Prodiceae aliorumque fabulae et orationes in laudem virtutis et honestatis, quas profecto, si ex iis, quae supersunt, concludere licet, non ita compararunt, ut displicerent? Illud igitur, quod dixi, non nego: sed hoc nego, arti criticae et vero aequitati esse congruum, ex declamationibus, quas Plato odii consumendi causa, et ob aliam fortasse rationem magis etiam reprehendendam, conscripsit, de cujuscunque viri honestate ac fama judicare.

Sed redeo ad Socratem. In hujus placitis tradendis Xenophontem secutus sum,

(6) Philostr. Vit. Sophist. p. 482, 483, 496.
(7) In Declamatione contra Sophistas, etiam in Helenae laudatione, in Panathenaico multis locis.
(8) Geschichte d. Wissensch. caet. T. II. p. 189 sq.

sum, cujus in placitis Socratis major est quam Platonis auctoritas. Nam saepe apud hunc sub Socratis persona ipse latet discipulus, ita ut saepe de rebus occultis illis atque obscuris disputet, quas Socrates a Philosophia secluserat, et interdum magis Sophistarum argutias, quam simplicem Socratis rationem sequatur. Xenophon vero memorabilia Socratis dicta factaque praesertim eo consilio conscripsit, ut eum defenderet, cui et indole et philosophandi ratione erat simillimus, quod secus erat in Platone. Et quamvis multa apud Platonem inveniantur, quae a Socrate profecta jure possint existimari, tamen quoniam nulla alia nota definiri possit, haec revera ad Socraticam disciplinam pertinere, nisi si illa cum Xenophonteis de Socrate libris conferamus, nihil quidem istis afferendis proficeremus, quoniam mera esset repetitio eorum, quae jam apud Xenophontem essent indicata.

Quo facilius autem intelligamus, quatenus Socrates in commemorandis et exponendis principiis moralibus Divinae existentis Naturae et Providentiae notionem adhibuerit, necesse erit Socraticae disciplinae fundamenta sive principia paulo fusius explicare; praesertim cum haec fuerit disciplina, a quâ caeterae omnes tamquam a communi fonte manarunt. — Illud etiam animadvertendum, nobis hoc loco primum de principiis et praeceptis separatim agendum esse, quod in superiorum philosophorum placitis pertractandis, propter horum placitorum inopiam, necesse non erat.

Socrates igitur, etsi sua placita scripto non consignavit, nec in disciplinae formam redegit, certa nihilominus opinionum suarum habebat cum fundamenta, quibus niterentur, tum fines, ad quos omnes tamquam ad communem scopum dirigeret.

Principium disciplinae Socraticae erat illud, quod τὸ νόμιμον appellabat. Optime ejus hac de re placita exposuit Xenophon in Memorabilium libri IV. Capite 4. ubi Socratem cum Hippia Sophista facit disputantem. Justum est idem ac legibus parere (τὸ δίκαιον ἔστι τὸ νόμιμον.) Hoc νόμιμον constat legibus scriptis et non scriptis (9). Non scriptae sunt eae, quae ubique sint eaedem nec umquam tempore vel vetustate mutentur. Hae leges sunt a Diis immortalibus profectae (10). Sed quare illis paremus? utrum quod ita amore atque caritate Deorum numen complectimur, ut nihil nobis an-

(9) § 12. 19. (10) Ib.

antiquius sit, nisi illorum parere voluntati? an quoniam nisi Deo obediremus, nobismet ipsi noceremus, vel ad rempublicam gerendam, aut amicorum commoda tuenda idonei non essemus? Utrumque, sed posterius latius patebat. Utilitas Socraticae disciplinae erat finis praecipuus: sed ita communitatis societate quadam ac vinculo inter se invicem haec duo principia conjuncta erant, ut difficillimum sit, hoc semper ab illo distinguere et secernere. Sed tamen, quoad ejus fieri potest, videamus de singulis. De utroque videndum, nam nisi omnem Socraticam disciplinam complectamur, (quod tamen paucis fieri poterit), rationem, quâ opinionibus de divina natura usus sit, perspicere non possumus.

Utilitas, de qua primum videbimus, duabus partibus continebatur, altera ipsa utilitate, quae et nosmet ipsos et patriam et amicos complectitur: altera decore, quibus simul sumptis efficeretur id, quod Graeci *καλοκαγαθίαν* appellare solebant. Duobus statim exemplis confirmatur, propriae utilitatis gratia nos Diis obedire, quorum alterum certe mirum nobis accidit, scilicet liberis dare operam cum matre non licere, quoniam nobis ipsi noceremus. Nam seminis effoeti ac languescentis cum florido semine ac juventutis vigore praedito congressio debilem atque imbecillam efficiat prolem necesse est. Quid vero majus homini liberos procreanti malum est, quam liberos procreare viribus ac vigore destitutos? Eadem ratione, qui beneficia accepta non reddit, amicorum a se mentes avertit, sibique eo vel maxime nocet (11). Hae sunt poenae a Deorum numine cum ipsis malefactis veluti necessitate quadam conjunctae, et ne his poenis affligamur, divinae legi obedire debemus (12).

Quod si igitur alio loco (13) legimus, illum, qui pro officiis, ante ad utilitates suas collatis, gratiam non referat, injustum esse, hoc nihil aliud significare videtur, nisi talem hominem idcirco injustum esse, quia Deorum immortalium legi non pareat: illis autem obedire oportere, quoniam dicto non audientem Dii poenis afficiant. Legum scriptarum obedientiam ea-

(11) § 20—24.

(12) § 21. Ἀλλ' οὖν δίκην γέ τοι διδόασιν οἱ παραβαίνοντες τοὺς ὑπὸ τῶν θεῶν κειμένους νόμους, ἣν οὐδενὶ τρόπῳ δυνατὸν ἀνθρώπῳ διαφυγεῖν. Et nunc calamitas illa memoratur, de qua diximus, tamquam naturalis et necessaria hujus peccati poena.

(13) L. II. c. II. § 3.

eadem sequitur utilitas, et ob eamdem commendatur. Nemo majoribus a civitate afficitur honoribus, nemo facilius in judiciis adversarios vincit, quam qui legibus paret. Nemini libentius rem familiarem, liberos et omnia adeo committimus: nemini magis hostes credunt, ubi pactae sint induciae, nemini socii potius fines suos, exercitus, urbes committunt; omnes denique, in quem beneficia collocarent, neminem facilius eligerent, quam quem scirent legibus diligentissime parere.

Sed non tantum idcirco injustitiam vituperat Socrates, quoniam nosmet ipsos in perniciem detrahat, sed etiam quoniam aliis obsit, et primum quidem reipublicae, deinde amicis. Et latissime quidem hoc patet per omnem Socraticam doctrinam: ubique inculcatur, ubique laudibus effertur, et tamquam praestantissimum virtutis justitiaeque officium atque munus proponitur. Et praeterea, quamvis et sui vel maxime rationem habere Socrates discipulos doceret, id tamen non in commodis augendis esse positum, in facultatibus opibusque amplificandis ostendebat, sed in eo, ut quam paucissimis egerent (14): non quaerebat nisi veram illam felicitatem, quae posita est in animi tranquillitate a cupiditatibus, aegritudine, ira, caeterisque perturbationibus vacua. — Huc etiam pertinebat decus illud, quod in omni vita et in omni genere virtutis elucet, quod qui tueri conatur, numquam aliquid, ut Socrates arbitratur, vel diceret vel faceret, quod naturae suae dignitatique esset contrarium. Hinc quod frequentissime discipulis illud in mentem revocabat, ut se probos esse quam videri mallent: *nam, si qui fuerint*, inquit, *qui non virtutem ipsam, sed speciem ejus, ac veluti simulacrum expetant, turpissime labuntur, simulac detegatur, quam longissime a vero sint honestatis studio remoti* (15). Hinc quod temperantiam praesertim idcirco commendabat, quod maximum esset philosophi et decus et ornamentum (16). In omnibus igitur et dictis et factis duo illa sibi aliisque proposuit, ut et decori et utilitati servirent, ut καλοὶ essent κἀγαθοὶ (17), ut et ipsi dignitate essent et gravitate insignes, sibique et reipublicae et amicis prodessent. Harum rerum explicationem, copiosiorem fortasse quam ad praesens argumentum, idcirco dis-

(14) Memor. IV. 2. 31 sq. I. 6. 10.
(15) Memor. I. 7. II. 6. 38.
(16) Memor. I. 5. IV. 5.
(17) Memor. III. 5. 28. Εἰ τοίνυν, ἔφη ὁ Σωκράτης, ἀρέσκει σοὶ ταῦτα, ἐπιχείρει αὐτοῖς, ὦ ἄριστε· ὅ τι μὲν γὰρ ἂν τούτων καταπράξῃς, καὶ σοὶ καλὸν ἔσται καὶ τῇ πόλει ἀγαθόν· ἐὰν δέ τι ἀδυνατῇς, οὔτε τὴν πόλιν βλάψεις, οὔτε σαυτὸν καταισχυνεῖς.

disputationi nostrae inserui, quo melius pateret, quatenus divinae naturae et providentiae in moralis philosophiae disciplina Socrates locum concederet.

Itaque illud jam initio vidimus, eum justitiae principia a Diis immortalibus derivare: sed quum ad finem honestatis describendum accessimus, simul etiam intelleximus, ita hanc originis rationem cum ipso honestatis fine cohaerere, ut ratio, cur justitia colenda sit, tum propria felicitate et decore, tum reipublicae et amicorum salute contineretur. Et ipsi adeo Dii, auctore Socrate, ita colendi, ut nobis faveant, resque nostras diligentius tueantur. Lamproclem adhortatur Socrates, ad Deos precandos, ut ei ignoscant, si officii erga matrem partem quamdam neglexerit, quoniam verendum esset, ut ab illis ei in posterum essent beneficia exspectanda, si quidem ingratis non faveant (18).

Sed erat altera ratio, cur nos Deorum mandatis obedire Socrates vellet, quam ex animi grati erga Deos sensu et mutuo inter eos hominesque amore atque benevolentia ducebat: etsi haec arctissimo vinculo cum superiori illa est conjuncta, quod postea magis patebit, ita ut, si compendiose rem describere velimus, dicendum foret honestatis finem omnem a Socrate in ratione utilitatis esse positam, multa vero inde Socratem ad virtutem commendandam petiisse argumenta, quod ostenderet, quam multa atque gravia nobis Dii immortales beneficia tribuerent, et quam sincero nos amore complecterentur. Et hoc rursus paulo altius repetamus. Verissime omnino et divina natura dignissime de Deorum immortalium dignitate et majestate judicabat. Illud prae caeteris vel maxime tenebat, Deos, vel, uti ipse existimabat, Deum (19) huic mundo et rebus humanis praeesse. Egregia afferre verba liceat, quibus magistri hac de re opinionem declarat Xenophon: *Deos*, inquit, *hominibus consulere existimabat Socrates, non ea ratione, qua plerique, qui Deos quaedam scire censent, quaedam ignorare: nam Socrates ita statuebat, Deos omnia noscere, cum dicta factaque, tum intimas adeo mentis cogitationes, ubique eos adesse, et hominibus de rebus, ad eos pertinentibus, significare* (20).

Ex

(18) Memor. II. 2. 14. Σὺ οὖν ὦ παῖ, ἂν σωφρονῇς, τοὺς μὲν θεοὺς παραιτήσῃ συγγνώμονάς σοι εἶναι, εἴ τι παρημέληκας τῆς μητρὸς, μή σε καὶ οὗτοι, νομίσαντες ἀχάριστον εἶναι, οὐκ ἐθέλωσιν εὖ ποιεῖν. Cf. Oecon. c. V. 18—20. c. IX. 8.

(19) Memor. I. 4. 17.

(20) Memor. I. 1. 19. Καὶ γὰρ ἐπιμελεῖσθαι θεοὺς ἐνόμιζεν ἀνθρώπων, οὐχ ὃν τρόπον οἱ

Ex hisce autem illud effici potest, improbos, quamvis facinora sua occultarent, Deos non latere; quod, etiamsi hoc magis ad superiora pertineat, praetermittendum tamen non erat, cum hoc loco nobis occurreret.

Sed pergamus. Non universam modo humanae vitae societatem a Diis servari existimabat, sed eosdem iis, qui omnia pie casteque eorum numini tribuant, de rebus futuris admonere, iisque signa dare, quibus de actione vel suscipienda vel omittenda facillime judicarent. At vero iis tantum quibus propitii sint, haec signa ostendunt (21).

Et cum sibi Deos saepe futura portendere diceret, Euthydemo auctor erat, ut Deos omni religione coleret, quo facilius eadem ab illis beneficia acciperet (23). Porro, quoniam omnia noscere Deos immortales, et omnium rerum quid optimum esset, quid secus, scire censebat, simpliciter ut bona sibi concederent precabatur, nec umquam quid sibi bonum videretur, iis praescribere ausus est (24); unde etiam intelligitur ita illum existimare, Deos pro sua in homines benevolentia libenter in eos optima quaeque conferre beneficia. Eidem in humanum genus benevolentiae tribuebat, quod non corpus tantum omnibus ad bene vivendum praesidiis Dii immortales ornassent, sed et mentem hominibus indidissent, ad optimarum rerum studia idoneam.

Cujusnam enim animantis, inquit, *animus illud videt, Deos esse, quorum vi ac ratione omnia pulcherrime sint et instituta et ordinata? an ullum aliud animal Deorum numen colit? et cujusnam tandem mentis sollertia melius et famem et sitim propulsare, et contra frigorum vim atque aestum caloris majora praesidia invenire potest; quaenam ita morbis subvenire, corporis vires alere, vel ingenium bonarum artium studiis excolere; aut quaenam magis apta est ad ea, quae vel viderit vel audierit, memoria servanda et recordatione restituenda ac renovanda* (25). Denique liberam

οἱ πολλοὶ νομίζουσιν· οὗτοι μὲν γὰρ οἴονται, τοὺς θεοὺς τὰ μὲν εἰδέναι, τὰ δὲ οὐκ εἰδέναι. Σωκράτης δ' ἡγεῖτο πάντα μὲν θεοὺς εἰδέναι, τά τε λεγόμενα καὶ πραττόμενα, καὶ τὰ σιγῇ βουλευόμενα, πανταχοῦ δὲ παρεῖναι, καὶ σημαίνειν τοῖς ἀνθρώποις περὶ τῶν ἀνθρωπείων πάντων.

(22) Memor. I. 1. 9. τοὺς θεοὺς γάρ, οἷς ἂν ὦσιν ἵλεω, σημαίνειν. Cf. IV. 7. 10.

(23) Memor. IV. 3. 13. (24) Memor. I. 3. 2.

(25) Memor. I. 4. 13. Οὐ τοίνυν μόνον ἤρκεσε τῷ θεῷ, τοῦ σώματος ἐπιμεληθῆναι, ἀλλ'

 (ὅπερ

ram potestatem hominibus Dii praebuerunt, juste injusteve agendi (26).

Statuit igitur Socrates, Deos amore ac benevolentia erga homines affectos optime de iis esse meritos, optimaque in eos collocasse beneficia.

Pro hisce vero beneficiis quamnam potissimum mortales Diis referre gratiam possunt? *Nullam aliam, nisi illam Delphici Apollinis voce declaratam, qui roganti cuidam, quonam modo Diis quam gratissimus esse posset, respondit,* LEGE CIVITATIS (Νόμῳ πόλεως). *Lex autem ubique est sacris Deos placare. Quisnam vero melius et sanctius Deos colat, quam qui illorum obsecundetur voluntati? Itaque ut hoc perficiamus pro viribus contendamus: nisi enim quis hoc faciat, se Deos negligere ostendit, et ubi, quantum quisque conniti potest, tantum faciat, ut Deos honoret, hinc confidere licet, et optima quaeque sibi affutura existimare: nemo enim* (et hic rursus eodem, unde egressus erat, revolvitur) *jure quidem ab aliis sibi majora speraret, quam ab iis, quibus tanta est potentia, ut pretiosissima cuicunque impertire beneficia possint: nec meliore illud ratione p.rficiat, quam si illis placeat: placere vero iis quis melius possit, quam qui eorum voci pareat* (27).

Neque tamen solis sacrificiis contentos esse Deos docebat: mentem enim illos magis, quam dona spectare.

Parva sacrificia ex re familiari parum lauta cum Diis offerret, Socrates non inferiorem se iis esse censebat, qui splendida et copiosa ex splendidis et copiosis sumsissent; non enim bene sese rem cum Diis immortalibus habere, si magnis sacrificiis magis quam parvis delectarentur: quod si enim hoc accidere posset, saepe iis ea, quae ab improbis essent oblata, justorum fore donis gratiora, nec mortalibus fore vitam vitalem, si acceptiora essent Diis improborum quam bonorum sacrificia. Itaque Deos proborum donis maxime delectari existimabat (28).

Igi-

(ὅπερ μέγιστόν ἐστι) καὶ τὴν ψυχὴν κρατίστην τῷ ἀνθρώπῳ ἐνέφυσε· τίνος γὰρ ἄλλου ζώου ψυχὴ πρῶτα μὲν θεῶν, τῶν τὰ μέγιστα καὶ κάλλιστα συνταξάντων, ᾔσθηται ὅτι εἰσί; τί δὲ φῦλον ἄλλο, ἢ οἱ ἄνθρωποι, θεοὺς θεραπεύουσι; ποία δὲ ψυχὴ τῆς ἀνθρωπίνης ἱκανωτέρα προφυλάττεσθαι ἢ λιμὸν ἢ δίψος ἢ ψύχη ἢ θάλπη· ἢ νόσοις ἐπικουρῆσαι, ἢ ῥώμην ἀσκῆσαι, ἢ πρὸς μάθησιν ἐκπονῆσαι, ἢ ὅσα ἂν ἀκούσῃ ἢ ἴδῃ ἢ μάθῃ, ἱκανωτέρα ἐστὶ διαμεμνῆσθαι.

(26) Memor. I. 4. 16.

(27) Memor. IV. 3. 16 et 17. locus longior, quam ut adscribi possit.

(28) Et hic locus prolixior, quam ut adscribi possit, Mem. I. 3. 3.

Igitur non tantum in principiis moralibus exponendis et commemorandis opinionibus de divina natura ac providentia Socrates usus est, sed ex ejusdem divinae naturae praestantia saepe egregia ad virtutem alendam adjumenta praesidiaque derivavit.

Ita v. c. cum Antiphonti ostenderet, veram felicitatem in eo esse positam, ut quam paucissimis egeremus, hoc utebatur argumento, ut diceret, *Deum nulla omnino re egere, eum vero esse potentissimum: itaque illum, qui quam minimis egeat, quam simillimum esse Diis, id est, omnium potentissimum* (29), et hic igitur rursus opinionis de similitudine cum divina natura invenimus vestigia.

Caeterum et hoc, credo, statuere licet Socratem etiam ex notione de immortalitate animorum et de remunerationibus, quibus post hanc vitam Dii probos affecturi sint, saepe virtutis praesidia et alimenta quaesivisse, etsi de illis apud Xenophontem quidem nihil inveniamus, ea vero, quae apud Platonem occurrant, ita cum hujus ipsius placitis confusa sint atque commixta, ut quid inde Socrati, quid Platoni tribui debeat, certo affirmare non ausim. Nam libenter hoc loco Wyttenbachio, viro egregio, assentior, dicenti, non credibile esse, philosophum, qui totam philosophiae disciplinam ad morum ac virtutis studium revocasset, hoc ejus fundamentum, quod positum est in animorum immortalitate neglexisse: deinde multa esse apud Xenophontem ejusmodi Socratis dicta, quae, nisi disertam immortalitatis affirmationem contineant, tamen eo valeant: veluti de providentia divina, de animi humani excellentia et similitudine cum divina natura: quae profecto ita dicta sunt, ut plane abhorreant ab ejus persona, qui nihil post hanc vitam superesse statuat. Denique Xenophontis silentium fortasse repetendum esse ex ejus cum Platone simultate et aemulatione: qua, ut factum est, ut alias quoque Socratis res diverse traderent, ita fieri potuisse, ut Xenophon Socratem raro et obscure de immortalitate dicentem faceret, quod Plato in Phaedone sub Socratis persona ita de hoc argumento disputasset, ut omnium consensu monumentum aere perennius exegisse videretur (30).

De-

(29) Memor. I, 6. 10. Ἔοικας, ὦ Ἀντιφῶν, τὴν εὐδαιμονίαν οἰομένῳ τρυφὴν καὶ πολυτέλειαν εἶναι· ἐγὼ δὲ νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δέεσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δὲ ὡς ἐλαχίστων, ἐγγυτάτω τοῦ θείου· καὶ τὸ μὲν θεῖον κράτιστον, τὸ δὲ ἐγγυτάτω τοῦ θείου ἐγγυτάτω τοῦ κρατίστου.

(30) Verhand. van Teyl. Genootsch. T. IV. p. 38 et 39.

Denique et hoc animadvertendum, etsi minus fortasse ad hunc locum pertinet, sed cum in hac tam gravi materia nostra versetur disputatio, Socrati illud debeo, ut hac animadversione hanc omnem de ejus disciplina orationem expleam: Socrates igitur, etsi cum Hippia ita loquebatur, ut a justitiae divinae metu officia deduceret, Socrates revera totum se virtuti dederat, quoniam virtutem amabat.

Hoc minus placitis vel sententiis, sed vitae actione et rebus gestis declaravit. Nostis hominem, Viri Eruditissimi, nec meam in ejusmodi causa admonitionem desideratis: sed quoniam illud demonstravimus, Socraticae doctrinae finem vel omnino, vel magna ex parte in ratione utilitatis esse positum, hoc etiam mihi ostendere liceat, in ipsis illis Xenophontis libris, de quibus jam dudum agimus, quaedam inveniri loca, quae testantur, Socratem honestatem non solum amplexum esse, ut legibus obediret, sed etiam quoniam ad magnos illos viros, nec umquam satis laudandos pertineret, qui pulcritudinis atque decoris studio, non in natura tantum vel arte, sed in ipsis moribus non inservire nec voluisset nec potuisset.

Honestas ei revera erat voluptas (ἡδονή): *optime illos*, inquit, *vivere existimo, qui diligentissime curent, ut meliores evadant, suavissime vero illos, qui maxime sentiant, sese meliores fieri* (31). Et quando cum Antiphonte de corporis voluptatibus disputat, *an ex omnibus illis*, inquit, *tantam te voluptatem percepturum existimas, quantam ex eo, quod te ipsum meliorem factum sentias, et quod amicos meliores consequaris* (32)? Et hinc fortasse illud etiam explicandum, quod multis et mihi adeo huc usque absurdissimum videbatur, Socratem contendere, illum, qui officia noscat, iisdem illis defungi (33), vel ut compendiose dicere solebat *omnem virtutem esse artem* (34); si quidem ille, qui hanc artem novit, numquam

(31) Memor. IV. 8. 6. Ἄριστα γὰρ οἶμαι ζῆν τοὺς ἄριστα ἐπιμελομένους τοῦ ὡς βελτίστους γίγνεσθαι, ἥδιστα δὲ τοὺς μάλιστα αἰσθανομένους ὅτι βελτίους γίγνονται.

(32) Memor. I. 6. 9. Οἴει οὖν ἀπὸ πάντων τούτων τοσαύτην ἡδονὴν εἶναι, ὅσην ἀπὸ τοῦ ἑαυτόν τε ἡγεῖσθαι βελτίω γίγνεσθαι καὶ φίλους ἀμείνους κτᾶσθαι; Cf. 14.

(33) Hanc opinionem impugnatam vide ap. Aristot. Magn. Mor. I. 1. Opp. T. II. p. 108. A.

(34) Πᾶσαν ἀρετὴν σοφίαν εἶναι. Memor. III. 9. 5. cf. IV. 6. 7. ubi σοφία eadem adhibetur significatione, et etiam in Anab. I. 2. 8. cf. Larcher in Gallica hujus operis versione T. I. p. 15. Hoc de Socratico placito judicium quodammodo confirmatum video

quam in illa laberetur, is vero, qui ejus artis imperitus esset, ne si vellet quidem, illam exercere potuisset. Scilicet ita mihi videtur virtutis amore flagrasse Socrates, ut ejus cognitionem atque amorem cogitatione divellere non posset et fidenter statueret, eum, qui sciat, quonam pacto Dii colendi sint, non dubitare quin ita illud fieri oporteret, et eum, qui hanc rationem cognitam haberet atque perspectam, necessario illam sequi. Qui viam nosset, eamque non ingrederetur, revera ei stultissimus videbatur, et cum ipse toto animo atque omnibus mentis viribus in virtutis studium incumberet, illam ita pulchram, ita eximiam esse repererat, ut, cui semel justitiae, constantiae, temperantiae, caeterarumque virtutum esset natura cognita, ab eodem illas negligi, absurdum ei atque omni rationi contrarium videretur. — Aristoteles quidem hanc eamdem sententiam de Socrate tuetur, cum dicat, *grave atque difficile Socrati videri, in eo, in quo scientia insit, aliud quidquam dominari, et huc illuc eum tamquam mancipium rapere* (35).

Sed haec hactenus. Summa Socraticae doctrinae de ratione inter divinam providentiam atque virtutem si quaeratur, dicendum erit: *Socratem saepe usum esse notione divinae justitiae, atque providentiae, cum in moralis doctrinae fundamentis atque initiis exponendis, tum in cohortationibus atque admonitionibus ad bene honesteque vivendum:* et ita quidem, ut ostenderet, *virtutis atque justitiae leges a divina voluntate datas esse, easdemque hanc habere vim, ut qui iis non diligenter obtemperet, necessario sibi noceat, quoniam injustitiam lege quadam necessitatis poena sequatur, quae in eo sit posita, ut καλοκαγαθίαν, qua et nostrae et Patriae et amicorum serviamus utilitati, nec quidquam indecore effeminateve faciamus, attingere non possimus.* Porro cum *Deorum vi ac ratione hunc mundum constitutum esse atque ornatum* statueret, et *res humanas ita geri atque administrari* doceret, *ut probi et improbi Deum numquam laterent;* et cum ostenderet, *justitiae divinae consentaneum non esse, nulla probitatis ratione habita, non vel poenas vel remunerationes hominibus pro meritis tribuere*, inde gravissi-

deo a Meinersio Gesch. d. Wissensch. caet. T. II. p. 459. Sed σοφίαν perperam sapientiam proprie ita dictam interpretatur.

(35) Nicom. VIII. 3. Δεινὸν γὰρ ἐπιστήμης ἐνούσης, ὡς ᾤετο Σωκράτης, ἄλλο τι κρατεῖν, καὶ περιέλκειν αὐτὸν ὥσπερ ἀνδράποδον. Eudem. I. 5. Σωκράτης μὲν οὖν ὁ πρεσβύτης ᾤετ' εἶναι τέλος τὸ γιγνώσκειν τὴν ἀρετήν. caet.

sima petebat argumenta, quibus ad virtutis constantiam discipulos adhortaretur; at vero non *metu* solum *poenae atque calamitatis* hoc efficere studebat, sed vel maxime *grati animi sensu atque amore erga eos, qui tanto nos sint amore benevolentiaque complexi.*

Ex Socratis discipulis iis, qui nullas scholarum sectas condiderunt, nemo est, de quibus hoc loco a nobis dici possit, nisi unus Xenophon. Nam, etsi caeterorum, Aeschinis, Critonis, Simmiae, Cebetis, Glauconis, Simonis multi exstitisse dialogi dicuntur, hi ad unum omnes perierunt. Nam de Cebetis tabulis, Aeschinis, qui feruntur, dialogis et Axiocho, quin spurii sint, nemo facile est hodie, qui dubitet. Xenophon vero, cum numquam fere ex suâ ipsius persona de virtutis doctrina disputet, libros vero cum historicos, tum illos, qui, etsi fictionibus ornati, tamen in historico versentur argumento, germana Socratica doctrina atque praeceptis referserit, de iis fuse loqui non necesse est, quoniam quae de Socrate diximus, eadem repetere non attinet. Omnes, quos laudat, sive privatos, sive in republica gerenda occupatos, vel imperatores et Persarum adeo principes ad Socraticae doctrinae imaginem expressit Xenophon; ubique idem *καλοκἀγαθίας* studium (36) ex eodem fonte, reverentia erga Deos, derivatum; idem amor cultusque Deorum (37), eaedem de divinatione opiniones (38), eadem de virtute colenda praecepta ex Deorum providentia justitiaque derivata (39); quibus praeterea etiam adjunxit illa, quae duci possint ex notione de immortalitate animorum (40), de injustitiae post hanc vitam poenis (41) et vero de exspectatione, certe suspicione, proborum animos ad Deum redituros (42).

(36) Cyrop. VIII. 1. 21. sq. Cf. Anab. I. 9. Ages. I. 6. sq. III—VI. XI.
(37) Cyrop. ib. et I. 6. 1—6. IV. 1. 2. (38) Ib. I. 6. 44—46.
(39) Ib. VIII. 7. 15 et 22. (40) VIII. 7. 6. sq.
(41) Ib. VIII. 7. 18. (42) Ib. VIII. 7. 27.



SEC-

SECTIO VI.

De Platone et Academicis.

Philosophiam, quam ex coelo devocaverat Socrates, ad sidera rursus extulit Plato. Magistri sui rationem cum Physicorum indagationibus consociare, physicamque et moralem doctrinam copulare conatus est, ita ut, cum omnes philosophiae partes ingenii viribus complexus esset, veterem philosophiam sparsim habitantem, quemadmodum Theseus Athenas, in unum contraxisse diceretur (1). Cumque praeterea ingenio et dicendi facultate prae caeteris excelleret omnibus, qui in philosophiam incubuerint, quorumqne ad nostram memoriam scripta servata sint, non mirandum est, veteres divinitatis honore atque nomine Platonis insignivisse rationem.

Et profecto cum ex vita humana ad divinae naturae excellentiam, animorum immortalitatem, saeculorumque ante actorum immensitatem sese extolleret, et cum cogitata mirabili quadam gravitate suavitateque enunciaret; effecit, ut omnium animos, eorumque adeo, qui ingenii ejus luxuriem improbarent, et disciplinae instabilitatem poëticis commentis ac fictionibus mixtam vituperarent, saepe ad eundem divinitatis altitudinisque sensum extolleret, secumque a terris in coelum raperet.

Quod si in superiorum philosophorum ante Socratem placitis exponendis maxima nobis diligentia opus erat, ut undequaque disciplinarum vestigia erueremus, et quaereremus, an quid esset, quod ad nostrum argumentum vel e longinquo pertineret; nunc quidem, ubi ad Platonem accessimus, disciplinae ubertate in magna illa librorum copia, quam ad nostram usque aetatem provida servavit fortuna, obruti fere et tamquam immersi, nec ubi incipiendum nobis, nec ubi finiendum, satis certo scimus. Uberiores

(1) Themist. Or. XXVI. p. 318. C.

res certe, quam ex Platonicis dialogis, fructus ad nostrum argumentum colligere non potui. Nam quoniam cum morali disciplina divinae naturae studium et opinionem de animo immortali et ante corpus existente conjungeret, facillime patet, multum inde ad ipsam ethicam manasse emolumenti.

Sed antequam in hunc spatiosissimum campum evagari audeam, paucis mihi de instituto judicioque meo in Platonicis ad praesentem scriptionem libris adhibendis praefari liceat. Non sum nescius, in Germania multos Platonem discerpere et lacerare conatos esse, et hac potissimum ratione, ut quemdam sibi Platonem fingerent, (utrum errore an ex rei veritate expressum, non dicam) a quo omnia, quae ad hanc speciem atque formam referri non possent, nec in eadem similitudinis conjunctione includi, mira quadam severitate ac gravitate removerent, ita ut auctorem non fictitiis modo scriptis (si modo sint) sed et omni vitiorum labe, quae omnibus auctoribus, ideoque etiam Platoni adhaerere possint, immunem praestare conati sint. Magnum inter hos sibi nomen comparavit Astius, qui bene multos dialogos, antea Platoni tributos, tamquam spurios rejecit. Ejus argumenta ponderare atque refellere, ubi a veritate mihi discessisse videantur, non est hujus loci nec temporis, et quamvis interdum a verisimilitudine non plane illum abhorrere fatear, in nonnullis dialogis recensendis, de quorum auctoritate jam ante illum docti quidam viri dubitarant, adeo tamen incerta mihi horum virorum argumenta visa sunt, ut rationem, cur illos dialogos ab hac disputatione secluderem, satis idoneam nondum invenerim; praesertim cum ita horum dialogorum argumenta ad universam Platonis doctrinam accedere videantur, ut, etiamsi ab ipso magistro non profecta essent, jure tamen discipulis, ex ejus schola profectis, tribui possent. Nam, quoniam non de Platone tantum, sed de omnibus veterum scholarum philosophis quaerimus, non magnum nobis inde damnum afferretur, si huic aliquid tribueremus, quod ad alios pertineat, modo non omnino ejus disciplinae contrarium sit atque adversum.

Caeterum eamdem hoc loco rationem sequar, qua antea in Socraticis de his rebus opinionibus exponendis usus sum: id est, brevi praecipua moralis disciplinae capita complectar, quo facilius pateat, quasnam in ea Diis immortalibus Justitiaeque divinae partes Plato tribuerit.

Denique illud monendum, me non omnia omnino Platonis loca, quae ad hanc

hanc nostram disputationem pertineant, contulisse. Hoc magis compilatoris foret, quam cum judicio ac delectu docentis. Et quamvis, quum illud a me evitari posse confiderem, hoc vero utrum assequerer, valde dubitarem, tamen strenue pugnans in primis labi, quam in secundis turpiter consistere malui. Itaque conatus sum Platonis sententiam, quam potui, diligentissime exponere, et ad singula argumenta unum duove loca, pauca certe afferre, quibus quae dicerem, probarem.

Quod si vero de Socrate locuturus, ab officiorum principiis inceperim, in Platonis placitis recensendis ab ipsa divinitate initium ducamus, ad quam ipse res humanas omnes referebat.

Deum sibi informabat Plato Bonum (ἀγαθὸν) id est, perfectum potestate, sapientia, virtute (2), et idcirco etiam Deus, secundum illum, id quod bonum est atque perfectum amat, atque in omnibus rebus efficere conatur (3). Neque ad tempus, sed semper et ubique; nam immutabilis est Deus, cum nec ab alio mutari possit, nec quum perfectus sit, se ipsum mutare velit, quoniam numquam nisi deteriorem sese faceret. Etenim, quod perfectum est, mutari nequit, nisi in malam partem (4).

Huc etiam referendum id, quod dicitur in Philebo, Deos nec laetari, nec tristitia affici: vitam enim omnibus omnino affectionibus vacuam omnium vitarum esse divina natura dignissimam (5). Quod vero hoc loco de Diis affirmat, proprie non nisi de summo Numine (quod diserte a caeteris Diis atque Daemonibus distinguit Plato) intelligendum est: nam in Epinomide statuit, daemonas quidem gaudio tristitiaque ob nostra vel bene vel male facta affici, Deum vero ipsum hisce omnibus carere affectibus, omnemque ejus in cognitione atque sapientia esse operam positam (6).

Quoniam vero perfectus est, cum mundum exaedificaret, pulcherrimum opus

(2) Apol. Socr. p. 361. B. cf. Conviv. p. 328. C. Ed. Ficin. cf. Stobaeus Eclog. Phys. c. III. 28. p. 64. Deus est, secundum Platonem, τὸ μονοφυὲς, τὸ μοναδικὸν, τὸ ὄντως ὂν, τὸ ἀγαθόν.

(3) Rep. II. p. 430. G. (4) Rep. II. p. 431.

(5) Phileb. p. 81. D. cf. p. 90. C.

(6) Epinom. p. 702. C. D. Θεὸν μὲν γὰρ δὴ, τὸν τέλος ἔχοντα τῆς θείας μοίρας, ἔξω τούτων εἶναι, λύπης τε καὶ ἡδονῆς, τοῦ δὲ φρονεῖν καὶ τοῦ γιγνώσκειν κατὰ πάντα μετειληφέναι.

opus effecit et ab omnibus partibus absolutum (7). Hinc, quod materiam turbulentis inordinatisque motibus fusam atque mixtam segregaret, et ad ordinem normamque redigeret. Ordine enim nihil est melius: optimum vero ab eo, qui ipse optimus est, proficisci necesse est (8). At vero cum bonus sit Deus atque perfectus, invidia in eum cadere nequit: in quem vero invidia cadere nequit, quum optimus ipse sit, omnia sibi quam simillima reddere conatur. Et hoc igitur idem Deus (9). Videmus, jam quatenus ad Deum virtus pertineat. Deus etiam indole et moribus perfectus est: nam nisi ἀγαθὸν illud ita accipi deberet, absurdum esset, quod de invidia statim subjicit Plato: sed hoc praeterea etiam patet ex loco supra allato ex II. libro de Rep. ubi dicitur, Deum bonum esse; quia vero bonum, non nocere: quoniam autem non noceat, nihil facere mali, nec ullius esse mali originem (10). Dein etiam Deum odisse mendacium, nec quidquam ejusmodi in sese admittere (11). In Euthyphrone, etsi toto ad Sophisticam disputandi rationem comparato, satis ostendit Plato, se existimare, sanctitatem a Diis amari, quia hujus virtutis excellentiam perspiciant, non vero idcirco sanctitatem appellari, quoniam a Diis proficiscatur (12). Igitur virtus ad Deum tamquam essentia pertinet. Nisi optimus esset Deus, esse non posset: optimus vero sine virtute cogitari nequit.

Sed videamus porro. Mundo animam indidit Deus, nec non astris quae per coelum volvuntur (13). Divinam iis naturam tribuit, et multos praeterea alias Deos Daemonasque creavit (14). Et hoc veluti in transitu animadvertere liceat, me mirari satis non posse, cur Astius (15) ex locis de

(7) Tim. p. 526. F. ὁ μὲν (ὁ κόσμος) κάλλιστος τῶν γεγονότων. ὁ δὲ (ὁ θεὸς) ἄριστος τῶν αἰτίων. caet. et p. 552. G. — Θνητὰ γὰρ καὶ ἀθάνατα ζῶα λαβὼν, καὶ ξυμπληρωθεὶς ὅδε ὁ κόσμος, οὕτω ζῶον ὁρατὸν, τὰ ὁρατὰ περιέχον, εἰκὼν τοῦ νοητοῦ θεοῦ, αἰσθητὸς, μέγιστος καὶ ἄριστος κάλλιστός τε καὶ τελεώτατος γέγονεν, εἷς οὐρανὸς ὅδε, μονογενὴς ὤν.

(8) Tim. p. 527. A. θέμις οὔτ' ἐστὶ τῷ ἀρίστῳ δρᾷν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιστον.

(9) Ibid. p. 526.

(10) Rep. II. p. 430. C. D. paulo post F. δίκαια καὶ ἀγαθὰ copulantur. cf. Theaet. 84. Ed. Heind. Alcib. II. 8. Ed. Biesteri et Buttm.

(11) Rep. II. p. 431. G. (12) Euthyph. p. 51. C.

(13) Tim. p. 530. B.

(14) Ibid. E. F. G.

(15) Leben und Schriften des Platon. p. 393.

de stellarum divinitate in Epinomide (16) argumenta quaesiverit, quibus demonstraret, hunc librum esse spurium, cum idem, etsi aliis verbis, in Timaeo legatur (17): sed pergamus. Summus hujus universi artifex animos hominum ex mundi anima discerptos, immortalitate donatos, hisce daemonibus tradidit, corpore vestiendos, quod corpus, quoad ejus fieri posset, perfectum atque vitae usui accommodatum reddere deberent (18).

Hominem in terris posuit Deus tamquam omnium *θεοσεβέστατον* futurum, et qui solus justitiam virtutemque coleret (19); sed cum in hominum creatione Dii non perfectionis tantum atque ordinis rationem habere possent, sed et necessarios quosdam motus materiae proprios (20) admittere deberent, hosce ab immortali animo segregantes in animi specie quadam, quam cum animo atque corpore conjungerent, collocarunt. Hi motus sunt voluptatis desiderium, doloris aversatio, audacia, metus, spes, amor, caeteri (21).

Hos motus qui superet, juste vivit; qui ab illis superetur, injuste (22). Nam quoniam rerum causae sunt sive divinae, sive necessariae, id est sive a divina providentia ordinatae ac constitutae, sive materiae necessario inhaerentes; divinam sequi naturam oportet, quoniam haec est perfectissima, nec sine eo, quod in omni genere summum est atque absolutum, vera perfectio atque felicitas cuiquam contingat (23).

Idcirco Daemones ii, quibus hominum creandorum erat cura commissa, omnibus viribus contenderunt, ut, cum illos Patris ac Summi Dei exemplo, quam perfectissimos reddere vellent, ita constituerent, ut quam facillime hasce perturbationes vincerent. Quum igitur animos a Deo per stellas

(16) Epinom. p. 701. B. C. (17) Tim. p. 530. D.

(18) Tim. p. 531. B. p. 542. H. et 543.

(19) Ibid. cf. Menex. p. 404. C.

(20) Haec, nisi fallor, significatio est illorum *νόμων εἱμαρμένων* p. 531. B. et illius *ἀνάγκης* C. cf. 533. F. et 542. E. et Stobaeus Ecl. Phys. c. VI. 15. *νόμος ἀΐδιος τῆς τοῦ παντὸς φύσεως.*

(21) Tim. p. 543. A.

(22) Ibid p. 531. C. *ὧν εἰ μὲν κρατήσοιεν, ἐν δίκῃ βιώσοιντο, κρατηθέντες δὲ, ἀδικίᾳ.*

(23) Tim. p. 542. F. *διὸ δὴ χρὴ δύο αἰτίας εἴδη διορίζεσθαι· τὸ μὲν ἀναγκαῖον, τὸ δὲ θεῖον. καὶ τὸ μὲν θεῖον ἐν ἅπασι ζητεῖν κτήσεως ἕνεκα εὐδαίμονος βίου καθ' ὅσον ἡμῶν ἡ φύσις ἐνδέχεται.* caet.

las planetasque sparsim veluti ejectos acciperent (24), ipsum animum, divinae atque immortalis naturae participem, in capite tamquam in arce collocarunt, motibus inordinatis ac rationi subjiciundis in pectore locum assignarunt. In abdomine vero illos relegarunt corporis affectus, qui ad vitam sustentandam, ac generis humani progeniem propagandam pertinerent. Nimirum, ne rationem, sive immortalem animum in capite positum, nimia vicinitate turbarent, in locum ab eo remotissimum Daemones hasce affectiones relegarunt: ne vero rursus omni tutela procurationeque destitutae immodice exsultarent, et ut Persarum Regum Satrapae provincias, sic inferiores corporis partes rationi tamquam gubernatori ac regi subtraherent, hepar iis apposuerunt, in cujus mutationes atque concussiones animus veluti in speculum inspiciens, harum perturbationum motus et conatus cognosceret omnes. In hac eadem parte, dementiae sede, divinandi vim collocarunt, quoniam nemo divinatur, nisi a ratione atque sana mente sit quam longissime remotus (25). Hinc etiam sequitur, si interdum motibus turbulentis jactationibusque animorum abrepti, rationi non obtemperent homines, eos hoc non consulto, sed veluti necessitate quadam coactos facere (26); nec tamen idcirco iis licere, impune sese vitiis dare, quoniam doctrinarum studio et diligentia vinci possit propensitas ad hasce perturbationes, quae nisi vincantur, nemo veram perfectionem attingat (27).

Virtus est in eo posita, ut has a Diis sibi tributas et facultates et perturbationes ita regant homines, iisque ita utantur ut sibi invicem prosint. Et quum Deus, quia bonus est et perfectus, ad ordinem confusam materiem ac temere permixtam reduxerit; ita etiam homo, nisi ordine agat, et ad normam quamdam atque regulam omnes tum animi motus, tum facta dictaque redigat, bonus esse nequit: nam omnium rerum perfectissimus est ordo, nec bonus, nisi perfectus, esse quisquam potest. Omne bonum pulchrum, nihil autem pulchrum, quod ordine caret (28). Vera si loqueris, confitendum erit,

(24) Tim. p. 531. D. (25) Tim. p. 543. H.

(26) Tim. p. 550. B. C. D.

(27) Ibid. E. de Platonis de libertate et fato sententia cf. Mosheim ad Cudworthi Syst. Intell. c. I. §. 4. not. 5.

(28) Tim. p. 550. E. πᾶν τὸ ἀγαθὸν καλόν· τὸ δὲ καλὸν οὐκ ἄμετρον.

erit, ipsam animi cum corpore, tamquam praestantissimae atque divinae essentiae cum debili atque imbecillio instrumento, conjunctionem incongruam esse ac parum ordini convenientem: sed hoc aliter a Diis fieri non poterat (29): et cum optimam semper in hisce conglutinandis rationem secuti sint, ut supra diximus, nostrum est item difficultatibus atque molestiis ex hac consociatione animi atque corporis exortis, quoad ejus fieri potest, omnibus viribus subvenire. Idcirco nec corpori nimis indulgendum, ne languescat ac torpeat animus; nec animo nimis concedendum, saepe vehementia quadam et effrenato veluti cupiditatis impetu in veritatis studia ac rerum cognitione dignarum inquisitionem incumbenti, ne dilabatur corpus ac dissolvatur (30).

Nec inter animum et corpus modo ordo ratioque servanda est, sed etiam inter tres diversas animi partes, sive facultates supra memoratas, rationem sive λόγον, iram sive θύμον in pectore locatam, et τὸ ἐπιθυμητικὸν, quibus perturbationes continentur, in abdomine positae (31): quam sententiam diserte et copiose explicat Plato in opere de Republica, ubi similitudine quadam civitatis sumta, sicut salutis ejus causa in civilium ordinum inter se invicem ratione ponit, ita etiam in animo hanc esse veram virtutem demonstrat, ut sua quaeque animi pars perficiat, nec alienis sese immisceat, et ita ordinem atque harmoniam tueatur; imo vero hanc eandem veram esse animi sanitatem declarat, et idcirco universam virtutem justitiam appellat, quia ejus est summum suum cuique tribuere (32).

Haec est illa multorum sermonibus scriptisque celebrata Platonica ἁρμονία, quum virtutem ab universi ordine sive κόσμῳ ad animum traducens, in eodem illo, quo mundi pulcritudinem contineri dixerat, ordine ac convenientia partium animi pulcritudinem virtutemque posuit.

Prae-

(29) Theaet. 84. Οὔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατὸν, ὦ Θεόδωρε· ὑπεναντίον γάρ τι τῷ ἀγαθῷ αἰεὶ εἶναι ἀνάγκη· οὔτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ ἱδρῦσθαι· τὴν δὲ θνητὴν φύσιν, καὶ τόνδε τὸν τόπον περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης.

(30) Tim. p. 550. G. et p. 551. (31) Tim. p. 551. F.

(32) Rep. IV. p. 454 et 455. Ἀρετὴ μὲν ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὑγίειά τέ τις ἂν εἴη καὶ κάλλος καὶ εὐεξία ψυχῆς· κακία δὲ, νόσος τε καὶ αἶσχος καὶ ἀσθένεια. — Ibid. p. 450. E, F. ἐθέμεθα — καὶ πολλάκις ἐλέγομεν — ὅτι ἕνα ἕκαστον ἓν δέοι ἐπιτηδεύειν τῶν περὶ τὴν πόλιν, εἰς ὃ αὐτοῦ ἡ φύσις ἐπιτηδειοτάτη πεφυκυῖα εἴη — καὶ ὅτι γε τὸ τὰ αὐτοῦ πράττειν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν, δικαιοσύνη ἐστί.

Praeclara sane ac philosopho digna sententia, quam, etsi multis somniis commentisque permixtam, satis tamen mirari non possumus. Sed eodem quo coepimus, tramite incedamus: nec ab illo nos vel admiratione vel vituperatione abduci patiamur, nam attento opus est animo in Platonica ratione persequenda, eaque ad nostrum argumentum redigenda. Postea, itinere confecto, nec antequam quale sit id, quo tandem pervenerimus, cognitum fuerit nobis atque perspectum, de iis quae nobis progredientibus occurrerint, digne satis pronuntiare poterimus.

Deus, uti dictum est, auctore Platone, bonus est: ordinem amat, eo ipso, quod bonus est; nihil ordine pulcrius ac melius: hunc igitur imitari, hunc sequi debemus, haec est sola virtus et vera sapientia. — Hanc igitur virtutis indolem, secundum Platonis mentem, paulo accuratius inspiciamus: et quid ei cum divina sit natura commune, diligenter inquiramus. Hoc satis jam credo eluxit, quam arcte cum virtutis notione, notio divinae naturae sit conjuncta, quamque in ea regnet fere atque una dominetur.

Virtus est ordo atque harmonia. Praeclare hanc Plato opinionem in Gorgia declarat hac ratione.

Instrumenti cujusque et corporis et animi etiam virtus est in ordine posita (33). Animus vero, qui ordinem non repudiat, idem est temperans: qui temperans Diis hominibusque sua tribuit, id est, sanctus est et justus: qui sanctus et justus, idem et fortis (34). *Qui vero hasce virtutes non colit, iste nec homini nec Deo est gratus: nam ad societatis communitatem non aptus est: cujus vero ad illam non accommodatum est ingenium, ei amor non inest. Sapientes autem dicunt, societatis consuetudinem et amorem et ordinem et temperantiam et justitiam coelum complecti et terram, Deos et homines, mutuoque eos inter se invicem communitatis quodam vinculo copulare; quocirca etiam universum illud* ordinem *sive κόσμον nominarunt* (35).

Ita

(33) Gorg. 133. ed. Heind. Κόσμος τις ἄρα ἐγγενόμενος ἐν ἑκάστῳ ὁ ἑκάστου οἰκεῖος ἀγαθὸν παρέχει ἕκαστον τῶν ὄντων.

(34) Ibid. et 134. cf. Rep. IV. p. 448 D. οἶμαι ἡμῖν τὴν πόλιν εἴπερ ὀρθῶς γε ᾤκισται τελέως ἀγαθὴν εἶναι. — Δῆλον δὴ ὅτι σοφή τ' ἐστὶ καὶ ἀνδρεία, καὶ σώφρων καὶ δικαία.

(35) Ib. 135 et 136. Οὔτε γὰρ ἂν ἄλλῳ ἀνθρώπῳ προσφιλὴς ἂν εἴη ὁ τοιοῦτος, οὔτε θεῷ· κοινωνεῖν γὰρ ἀδύνατος· ὅτῳ δὲ μὴ ἔνι κοινωνία, φιλία οὐκ ἂν εἴη· φασὶ δ' οἱ σοφοί, ὦ

Καλ.

Ita etiam in libro Legum secundo doloris ac voluptatis sensus rationi obtemperantes ac conspirantes illam efficere conspirationem dicuntur, vel ut Graeca diligentius reddamus (ξυμφωνίαν) *consonantiam*, quae revera sit virtus (36).

In libro VIII. Reip. omnia civitatis vitia dissonantiae sive διαφωνίᾳ tribuuntur.

Invenimus in his libris eosdem illos motus necessarios, de quibus supra ad Timaeum diximus, sensum doloris ac voluptatis.

Hujus autem virtutis sive harmoniae cum apud Deum exstet *Idea* sive *species*, (quemadmodum interpretatus est Cicero) ad quam ipsa mortalium virtus conformata sit; sicut omnium rerum mundique adeo ipsius Ideae adsunt, ad quas summus hujus universi Creator illum tamquam ad exemplar condiderit; arctissime haec virtutis species cum specie pulcritudinis et veritatis cohaeret, quod quale sit abunde ex Phaedro Platonis intelligi licet, et haec nunc amplius enucleare non attinet (37).

Hinc quod in officiorum praeceptis pulcri verique studium saepe cum honestatis studio copuletur a Platone. Sic v. c. in Convivio declarat Diotima, omnium pulcherrimam rem esse sapientiam, amorem autem, cum pulcritudinis sit desiderium, eumdem esse sapientiae amantem, id est philosophum (38). Item omne, quod turpe sit, divinae naturae non convenire, solum enim pulcrum ei esse congruum (39). Qui vero pulcritudinem quaerat, quam semper et ubique eandem atque immutabilem esse Diotima declarat, hunc veritatem et honestatem quasi gignere ac procreare, eundemque idcirco Deo ami-

Καλλίκλεις, καὶ οὐρανὸν καὶ γῆν, καὶ θεοὺς, καὶ ἀνθρώπους, τὴν κοινωνίαν συνέχειν καὶ φιλίαν καὶ κοσμιότητα καὶ σωφροσύνην καὶ δικαιότητα· καὶ τὸ ὅλον τοῦτο διὰ ταῦτα κόσμον καλοῦσιν, ὦ ἑταῖρε, οὐκ ἀκολασίαν οὐδὲ ἀκοσμίαν.

(36) Legg. II. p. 575 F. cf. III. p. 590 B. ταύτην τὴν διαφωνίαν λύπης τε καὶ ἡδονῆς πρὸς τὴν κατὰ λόγον δόξαν, ἀμαθίαν φημὶ εἶναι τὴν ἐσχάτην. Cf. I. p. 569 G. et 573 C. de dolore et voluptate a ratione moderatis et legis origine inde derivata.

(37) Phaedr. 58. 63 sq. Heind. cf. de Rep. VII. p. 481 E. ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα πᾶσι πάντων αὕτη ὀρθῶν τε καὶ καλῶν αἰτία. et Alcib. I. 61. ed. Biest.

(38) Conviv. p. 328 D.

(39) Conviv. p. 329 C. ἀνάρμοστον δ' ἐστὶ τὸ αἰσχρὸν παντὶ τῷ θείῳ· τὸ δὲ καλὸν, ἁρμόττον.

amicum fieri dicit (40). Veritatem cum Diis tum hominibus omnium bonorum esse fontem atque originem, Plato testatur (41). Cum vero optimum esse virtutem censeat, patet inde, quam arcte cum virtute veritatem conjunctam esse putet.

Atqui omnem fere sapientiam Plato in cognitione harum Idearum ponit, et verum philosophum ad species pulcritudinis, veritatis et honestatis contemplandas traducit (42). Talis philosophus τὸ ὄν, id *quod per se est*, id est, rerum *Ideas* contemplans, revera *videt*: alii coeci potius quam sanis oculis putandi sunt; ante omnia veritatem amat: hinc quod mentis voluptates corporeis longe praestare existimet: unde temperantia. Quoniam vero semper id, quod revera pulcrum est ac magnum et admiratione dignum, expetit, humana omnia despicit et infra se putat: hinc animi magnitudo et fortitudo. Qui vero temperans et fortis, eumdem justum esse necesse est (43). At vero haec philosophi imago non differt sane ab imagine Dei, supra a nobis expressa ad mentem Platonis: nimirum, Deum pulchritudinem, ordinem, veritatem virtutemque diligere. Quomodo igitur ad hanc virtutem, cujus naturam secundum Platonem explicare conati sumus, pervenire possumus? Ex iis, quae supra diximus, facilis admodum est responsio: Divinae perfectionis imitatione. Et hic quidem nostra ὁμοίωσις τῷ θεῷ rursus nobis occurrit, de qua jam diximus cum de Pythagora ageremus.

Primum in ipsis mythis hanc sententiam Plato spectare videtur, cum v. c. in Phaedro quemque animum in beatissimo illo Immortalium choro unumquemdam ex XII Diis sequi dicit, ad cujus similitudinem se ipse et amicos informare conetur (44). Porro in Theaeteto ita loquitur: *Hinc quam celerrime fugiendum: Fuga vero illa est Dei similitudo: et haec eadem similitudo est justitia et sanctitas et sapientia:* et paulo post: *numquam Deus est injustus, sed omnium justissimus, nec homine justissimo quidquam* ei

(40) Ibid. p. 331 E.

(41) Leg. V. p. 605 F. ἀλήθεια δὴ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις. cf. p. 607.

(42) Rep. V. p. 467. A—C. Lib. VI. et libri VII. init. praesertim p. 481. E. F.

(43) Rep. VI. p. 469.

(44) Phaedr. 72. 73. Heind.

ei similius (45). In Alcibiade recte vivere homines dicuntur, si divinam naturam et veluti lucem inspiciant: male, si ad tenebras et id, quod divina specie expers sit, oculos convertant (46). In eodem libro cognitio Dei proponitur tamquam virtutis fons atque initium. Nam cognitione sui omnis nititur virtus: haec cognitio autem cognitione Dei et ejus quod in nobis maxime divinum est, prudentiae scilicet, continetur (47). In quarto Legum libro ita loquitur Plato: *Qui Deo amicus esse vult, quam maxime nitatur ut talis, qualis ille sit, ipse evadat. Idcirco temperans Deo amicus, nam ei similis est: intemperans vero, ei dissimilis: ita etiam injustus: Deus autem omnium rerum nobis mensura est: simile autem simili amicum, modo ordine non careat: inordinatum vero ac mensura ordineque carens, nec ordini, nec confusioni sui simili amicum esse potest* (48). *Bono igitur viro cultus divinus conducit, eique prodest: malo vero obest, nam mali hominis animus impurus est, boni vero purus: ab impuro vero accipere dona, nec bonum virum nec Deum decet* (49).

Ex hoc quidem loco vel maxime patet, illam Platonis animo opinionem insedisse, honestum per se esse bonum. A Deo quidem virtutis originem ducit, sed non ita ut virtutem idcirco virtutem esse dicat, quoniam ita placeat Deo. Imo ve-

(45) Theat. 84 et 85. Διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἔνθενδε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ, δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. — Θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ᾽ ὡς οἷόν τε δικαιότατος, καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοιότερον οὐδὲν ἢ ὃς ἂν ἡμῶν ἂν γένηται ὅτι δικαιότατος.

(46) Alcib. I. 60. ed. Bienr. et Buttm.

(47) Alcib. I. 58.

(48) Legg. IV. p. 601 A. Τίς οὖν δὴ πρᾶξις φίλη καὶ ἀκόλουθος θεῷ; μία, καὶ ἕνα λόγον ἔχουσα ἀρχαῖον, ὅτι τῷ μὲν ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ὄντι μετρίῳ φίλον ἂν εἴη, τὰ δὲ ἄμετρα, οὔτ᾽ ἀλλήλοις, οὔτε τοῖς ἐμμέτροις· ὁ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ πού τις, ὥς φασιν, ἄνθρωπος· τὸν οὖν τῷ τοιούτῳ προσφιλῆ γενησόμενον, εἰς δύναμιν ὅτι μάλιστα καὶ αὐτὸν τοιοῦτον ἀναγκαῖον γίγνεσθαι. καὶ κατὰ τοῦτον δὴ τὸν λόγον, ὁ μὲν σώφρων ἡμῶν, θεῷ φίλος (ὅμοιος γὰρ), ὁ δὲ μὴ σώφρων ἀνόμοιός τε καὶ διάφορος, καὶ ἄδικος· καὶ τἆλλα οὕτω κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἔχει.

(49) Ibid. B. τῷ μὲν ἀγαθῷ θύειν καὶ προσομιλεῖν τοῖς θεοῖς, καὶ εὐχαῖς καὶ ἀναθήμασι καὶ ξυμπάσῃ θεραπείᾳ θεῶν, κάλλιστον καὶ ἄριστον καὶ ἀνυσιμώτατον πρὸς τὸν εὐδαίμονα βίον, καὶ δὴ καὶ διαφερόντως πρέπον. τῷ δὲ κακῷ τούτων τἀναντία πέφυκεν· ἀκάθαρτος γὰρ τὴν ψυχὴν ὅγε κακός· καθαρὸς δὲ ὅγ᾽ ἐναντίος· παρὰ δὲ μιαροῦ δῶρα οὔτ᾽ ἄνδρ᾽ ἀγαθὸν οὔτε θεὸν ἐστί ποτε τό γε ὀρθὸν δέχεσθαι.

vero hoc loco, quid Deum deceat, audacter statuit, quoniam illud sibi persuasum habebat, virtutem etiam sine Deo pulcram esse atque honestam.

In libro secundo de Leg. disertis id verbis declarat, cum dicat, *si Deos interrogaremus, utros beatiores existimari oporteat, qui juste, an qui jucunde vivant (si hae scilicet vitae, sibi invicem oppositae essent); Dii vero jucunde viventes responderent, absurdam hanc fore responsionem* (50).

Nec negligendae hoc loco pulcherrimae illae in Apologia Socratis et in Critone sententiae, ubi Socratem Plato facit honestatis amantem, ob id ipsum quod honestas sit, id est, pulchra per se ac bona, quodque turpitudinem magis quam mortem timeat (51). Malum idcirco vitandum, quia nefas est (οὐχ ὅσιον) (52).

Neque tamen hac persuasione ita Platonem usum esse, ut fastidio quodam elatus sola virtute fideret Deosque repudiaret, satis ea quae de hoc loco dicta sunt declarant: nam ita cum divinae existentiae opinione honestatem conjunxit, ut maximum virtutis splendorem ab auctoritate divina dirivaret, quoniam Deum, sua ipsius veluti natura adactum, ordinem ac veritatem diligere existimaret, et idcirco hujus divini exempli imitationem tamquam finem honestis viris ac sapientiae amantibus proponeret.

Haec igitur de principiis atque initiis doctrinae Platonis. Nec minor in officiorum praeceptis a Platone Deorum immortalium est ratio habita.

Primum ex supra dictis satis patet, ita eum divinae existentiae notione usum esse ad virtutem commendandam, ut ostenderet, arctissimis vinculis cum divina natura virtutis, veritatis, pulchritudinis Ideas esse conjunctas; et ad idem illud ordinis et pulcritudinis studium, quo in hoc mundo creando usa esset summi Numinis mens atque ratio, hominum animos excitaret, demonstraretque omnem in eo probi viri operam esse positam debere, ut ad verae Essen-

(50) Legg. II. 579 F, G. ἐροίμεθ' ἂν ἴσως αὐτοὺς πάλιν, ποτέρους δ' εὐδαιμονεστέρους χρὴ λέγειν, τοὺς τὸν δικαιότατον, ἢ τοὺς τὸν ἥδιστον διαβιοῦντας βίον· εἰ μὲν δὴ φαῖεν τοὺς τὸν ἥδιστον, ἄτοπος αὐτῶν ὁ λόγος ἂν γίγνοιτο.

(51) Apol. Socr. p. 363 F. et p. 364 A. τὸ ἀδικεῖν καὶ τὸ ἀπειθεῖν τῷ βελτίονι, καὶ θεῷ καὶ ἀνθρώπῳ ὅτι κακὸν καὶ αἰσχρόν ἐστιν οἶδα. cf. Crito p. 372 D. in Ed. Biest. § 10. τὸ ἀδικεῖν οὔτε ἀγαθὸν οὔτε καλὸν — οὐδαμῶς δεῖ ἀδικεῖν, οὐδ' ἀδικούμενον ἀνταδικεῖν, ἐπειδή γε οὐδαμῶς δεῖ ἀδικεῖν. cf. Minos p. 45.

(52) Legg. VIII. p. 647 E.

sentiae Idearumque cognitionem adscendat, Deoque immortali quam simillimus evadat.

Sed praeterea in officiorum praeceptis, multis locis inde virtutis incitamenta, praesidia atque alimenta duxit, quod hominibus Deos consuluere ostenderet perpetua quadam cura atque amore: quam rem satis jam in humani corporis animique fabrica ac dispositione elucere diximus; et quod praemia ac poenas a Diis immortalibus nobis propositas esse affirmaret. Videndum de utrisque.

Deus virtutem amat atque constantiam: ideirco, quae semel procreavit, divinae sapientiae vi ac ratione tuetur. Non opus erit hoc loco multis verbis praeclara illa Platonis de Providentia placita exponere, quae praesertim in Libro decimo Legum dilucide ornateque explicuit, ubi impietatem arguit eorum, qui sive omnino Deos esse negabant, sive eos humana non curare existimabant, sive denique facile eorum iram placari posse contendebant. Satis erit a nobis huic loco factum, cum animadverterimus, ibi a Platone Menti divinae hujus universi regnum atque imperium esse tributum, unde et veterum philosophorum sententiam laudat *omnia plena esse Deorum* (53).

Hisce Diis vel Daemonibus prudentiam tribuit mirabilem, magnam ingenii celeritatem ac memoriam tenacissimam, et omnia nostra iis nota esse statuit (54). Nec videtur a Platone aliena fuisse opinio, cuique suum esse daemonem tributum (55). Dii parva curant aeque ac magna. Etenim magne curare et parva negligere vel negligentis esset, vel imperiti, vel desidentis atque inertia diffluentis, quorum nihil in Deos cadere potest (56). Sciunt omnia Dii, audiunt, vident, nec quidquam est, quod perficere nequeant. Quod vero dicitur in Legum libro quarto, Deum et *cum Deo casum et fortunam* omnia gubernare (57), ita accipiendum, Deo semper subjectum esse casum et fortunam: vel uti interpretatur Cicero in Academicis Quaestionibus, qui de hoc loco mihi videtur cogitasse, fortunam hic illatam a Platone, *quod divinam prudentiam saepe fortunam appellamus, quod efficiat multa improvi-*

(53) Legg. X. p. 670 C. cf. Conviv. p. 327 G.
(54) Epin. p. 702 B. C.
(55) Phaedr. p. 398 A. Rep. X. p. 521 E.
(56) Legg. X. p. 671 B. sq.
(57) Legg. IV. p. 593 A.

visa nec opinata nobis, propter obscuritatem ignorationemque causarum (58). Etenim nullum inde consequi detrimentum Platonicae providentiae satis ex iis patet locis, quae ostendunt, Platonem ita divinam informasse prudentiam, ut ei omnia subjecta existimaret, veluti locus in Legum libro septimo, ubi, cum de proverbio agat, *ne Deum quidem necessitati pugnare*, id de divina necessitate, id est, de iis, quae ad divinam essentiam pertineant, eique necessario inesse debeant, ita ut tamen Deus ipse non intereat, intelligendum esse censet (59): item locus a Stobaeo excitatus e Timaeo, *mundum ortum esse ex necessitatis mentisque conspiratione, ita tamen ut mens necessitatem superet* (60), fortasse ad necessarios illos materiae motus referendus, de quibus supra diximus.

Itaque satis patet, ex sententia Platonis, Deos res humanas gubernare.

Sed praeterea amore Dii hominum genus complectuntur: nec eos tantum homines, qui virtutem colunt et efficere conantur, ut Diis quam simillimi evadant, prae caeteris diligunt: sed alios etiam non ita in virtutis tramite proficientes, ad idem honestatis studium excitant, et multa iis adjumenta administrant. Amor et temperantia et justitia sunt vincula, quae Deos et homines firma inter se societate conjungunt (61). Hinc fortasse etiam explicandum, quod Eryximachus in Convivio dicat, sacrificia, veluti communiones Deorum atque hominum, nulla in alia re versari nisi in amoris curatione atque custodia (62). Hinc quod allegorice, ut caetera fere, Diotima dicat: *amorem esse veluti interpretem nuntiumque Deorum atque hominum: horum enim ad illos perferre preces: illorum mortalibus sacra praeceptaque explicare.* Unde omnis divinationis vis atque praestantia; quam qui intelligat, revera δαιμόνιος ἀνὴρ dicendus sit (63). Sed ne intra hos Diotimae ser-

(58) Acad. Quaest. I. 7.

(59) Legg. VII. p. 639 E.

(60) Eclog. Phys. C. V. 7. cf. de hac quaestione Moshemius ad Cudworth. Syst. Intell. p. 7. not. 5.

(61) Gorg. 136. supra jam laud.

(62) Conviv. p. 321. E. F. ἔτι τοίνυν καὶ αἱ θυσίαι ἅπασαι, καὶ οἷς μαντικὴ ἐπιστατεῖ (ταῦτα δ' ἔστιν ἡ περὶ θεούς τε καὶ ἀνθρώπους πρὸς ἀλλήλους κοινωνία) οὐ περὶ ἄλλό τι ἐστὶν ἢ περὶ Ἔρωτος φυλακήν τε καὶ ἴασιν. πᾶσα γὰρ ἡ ἀσέβεια φιλεῖ γίγνεσθαι ἐὰν μή τις τῷ κοσμίῳ Ἔρωτι χαρίζηται, μηδὲ τιμᾷ τε αὐτὸν καὶ πρεσβεύῃ ἐν παντὶ ἔργῳ.

(63) Conviv. p 327 G. Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώ-

sermones consistamus, dilucidiora nec minus praeclara hujus rei argumenta in libro Legum decimo invenimus. Ibi haec a Platone legimus tradita. *Omnibus animis suum cuique locum assignant Dii, quo facilius quisque virtutem colat et ad veram perfectionem et felicitatem sese exerceat.* Praestantissimus hic omnis de Deorum cura atque providentia locus est, quo demonstrat Plato, in honestatis ac virtutis studio omnem esse felicitatem positam, et facillime nos externa neglecturos, si purissima illa voluptate fruamur, qua afficiemur, ubi in coetu excellentium praestantissimorumque virorum magis magisque virtutem amaturi sumus (64). Et illud quidem ita a Diis Immortalibus institutum esse affirmat, ut probi semper ad probos, mali ad malos post hanc vitam proficiscantur; itaque etiam qui semel virtutem injustitiamve colere coepissent, eo ipso, quod exercitatio atque labor proprias alat vires (65), et exemplo ac cohortatione eorum, quibuscum societatis sint communitate conjuncti, semper progrediundo tandem ad summam felicitatem perveniant, vel ad ultimam perniciem dilabantur (66). Quem locum cum lego, semper de Stillingii libello cogito, vere aureo, de statu animorum post hanc vitam, in quo hanc eamdem sententiam praeclare ornavit et amplificavit.

Abunde igitur patet, quam diligenter a Platone consultum sit virtuti nostrae ac felicitati a Deo derivandae. Ita etiam ratio nobis a Deo tamquam δαίμων data esse dicitur, quae, cum ipsa divinae sit originis, semper pristinae sedis memoriam colat, et a terris ad coelum mentem nostram avocet (67). Ita harmoniae ac rhythmi studium divino quodam con-

ces-

θρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν.

(64) Legg. X. p. 672. Longior locus quam ut adscribi possit, sed lectu dignissimus.

(65) Tim. p. 551 G. 552 A.

(66) Legg. X. p. 672. μείζω δὲ δὴ ψυχὴ κακίας ἢ ἀρετῆς ὁπόταν μεταλάβῃ, διὰ τὴν αὐτῆς βούλησίν τε καὶ ὁμιλίαν γενομένην ἰσχυράν, ὁπόταν μὲν ἀρετῇ θείᾳ προσμίξασα γίγνηται διαφερόντως τοιαύτη, διαφέροντα καὶ μετέβαλε τόπον ἅγιον ὅλον, μετακομισθεῖσα εἰς ἀμείνω τινὰ τόπον ἕτερον· ὅταν δὲ τἀναντία, ἐπὶ τἀναντία μεθιδρύσασα τὸν αὐτῆς βίον. Αὕτη τοι δίκη ἐστὶ θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν· κακίω μὲν γιγνόμενον, πρὸς τὰς κακίους ψυχάς· ἀμείνω δὲ, πρὸς τὰς ἀμείνους, πορευόμενον, ἔν τε ζωῇ καὶ ἐν πᾶσι θανάτοις, πάσχειν τε καὶ ποιεῖν ἃ προσῆκον δρᾶν ἐστι τοῖς προσφερέσι τοὺς προσφερεῖς.

(67) Tim. p. 551 G.

cessu atque munere nobis datum est, quo facilius ad honestatis harmoniam pulcritudinemque diligendam incitaremur (68). Nec magis hunc ordinis ac constantiae sensum in animo nostro excitare potuerunt Dii, quam cum corporum coelestium invariabiles et immutabiles nobis proponerent motus, summo ordine et constantia per aetheris immensitatem progredientium (69). In libro XI Legum memorabilis exstat locus, ubi dicitur *cum coelum plenum sit bonorum et malorum, immensum quoddam inter ea existere certamen, quod ne in majus serpat omni ratione cavendum sit: nobis vero et Deos et Daemonas opitulari: sumus autem*, ita pergit, *Deorum Daemonumque possessio, per-unt nos injustitia, superbia, stultitia; salutem vero nobis afferunt justitia, temperantia, prudentia* IN VIRIBUS DEORUM ANIMATIS INHABITANTES, (*ἐν ταῖς τῶν θεῶν ἐμψύχοις οἰκοῦσαι δυναμέσι*), quemadmodum Ficinus haec vertit (70). Sed quid sibi haec verba velint, nondum satis intelligo. Id certum est, agi hoc loco de certamine quodam inter principia quaedam vel naturas boni et mali participes, quod etiamsi in coelo geratur, ad nos tamen etiam pertineat, quare etiam Dii nobis opem ferant ne vincamur. Memorabilis profecto locus, cujusmodi plures in hisce Legum libris invenimus, sed quos afferre non attinet, quoniam ad nostrum argumentum non pertinent.

Monendum est etiam de lege memorabili quadam, quam in libro nono de Legibus invenimus, et quae luculenter ostendit, quam firmiter Platoni de Deorum erga nos cura ad virtutem promovendam persuasum fuerit. Loquitur ibi legislator de poenis, quibus affligendi sint ii, qui alios vulneraverint. Ita legem fert: *Si quis amicum interficere volens, illum non occiderit, sed vulne-*

(68) Legg. II. p. 576 A. B.

(69) Tim. p. 552. A. cf. 533. E. F. — *ἀλλὰ τοῦτο λεγέσθω παρ' ἡμῶν· αὐτὰ (τὰ ὄμματα) ἐπὶ ταύτῃ τῇ αἰτίᾳ θεὸν ἡμῖν ἀνευρεῖν, δωρήσασθαί τε ὄψιν, ἵνα τὰς ἐν οὐρανῷ τοῦ νοῦ κατιδόντες περιόδους, χρησαίμεθα ἐπὶ τὰς περιφορὰς τὰς τῆς παρ' ἡμῖν διανοήσεως, συγγενεῖς ἐκείναις οὔσας, ἀταράκτοις τεταραγμένας* caet.

(70) Legg. XI. p. 673 A. *ἐπειδὴ γὰρ συγκεχωρήκαμεν ἡμῖν αὐτοῖς, εἶναι μὲν τὸν οὐρανὸν πολλῶν μεστὸν ἀγαθῶν, εἶναι δὲ καὶ τῶν ἐναντίων, πλειόνων δὲ τῶν μή· μάχη δὴ, φαμὲν ἀθάνατος ἐστὶν ἡ τοιαύτη καὶ φυλακῆς θαυμαστῆς δεομένη. ξύμμαχοι δὲ ἡμῖν θεοί τε ἅμα καὶ δαίμονες· ἡμεῖς δ' αὖ κτήματα θεῶν καὶ δαιμόνων· φθείρει δὲ ἡμᾶς ἀδικία καὶ ὕβρις μετὰ ἀφροσύνης· σώζει δὲ δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη μετὰ φρονήσεως ἐν ταῖς τῶν θεῶν ἐμψύχοις οἰκοῦσαι δυναμέσι.*

neraverit, omni misericordia remota, non aliter quam si hominem interfecisset morte esset puniendus: at vero fortunam ejus non omnino adversam admirantes et daemonem verentes, qui utriusque misertus a caede vulnerantem avertit, ne execrabili implicaretur facinore, vulneratum vero ne immedicabili vulnere afficeretur, impedivit: huic igitur daemoni gratias agentes, neque ei adversantes a morte hominem liberare debemus et in vicina civitate per totam vitam eum exulare faciamus (71).

Nec minus memoria dignum et ejusdem mentis est pulcherrimum illud ad sacrilegos prooemium in eodem libro: *O mirabilis vir* (ita sacrilegum legislator alloquitur) *non humanum nec divinum malum ad impietatem te excitat, sed exitialis quidam stimulus ex veteribus peccatis nondum absolutis, quem omni ratione evitare debes. Optime autem hoc modo illum evitare queas: quando talis quaedam tibi cogitatio incidat, confuge ad expiationes; confuge supplex ad Deorum mala averruncantium aras; confuge ad bonorum virorum colloquia, ubi partim audias, partim ipse periculum facias, docendo bono viro omnia et bona et pulchra esse colenda; improborum vero coetus quam celerrime fugias* (72).

Quod vero dicitur a Socrate in Menone, virtutem hominibus divina quadam sorte (θείᾳ μοίρᾳ) indidi, ita ut, quemadmodum vates, qui quae dicunt, ne intelligunt quidem, eadem ratione viri honesti Deo sint pleni (ἐνθουσιάζειν), et, quamvis multa bene faciant, eorum tamen ipsi rationem non intelligant: id primum quidem non ita intelligendum esse, ac si revéra hanc Plato sententiam tueatur, virtutem non a libero hominum arbitrió pendere, satis ex eo patet, quod de praemiis ac poenis tradidit, quae nullae forent nisi ex bonis malisque eligere possent homines quae vellent: sed praeterea ita εἰρωνείᾳ his locus permixtus est, ut quid ex mente suá statuat auctor, difficile sit dictu: et denique ipse in fine dialogi dicit, hac de re sese, quod

(71) Legg. IX. p. 661 E. — τὴν δὲ οὐ παντάπασι κακὴν τύχην αὐτοῦ σεβόμενον, καὶ τὸν δαίμονα, ὃς αὐτὸν καὶ τὸν τρωθέντα ἐλεήσας ἀποτρόπαιος αὐτοῖς ἐγένετο, μὴ τῷ μὲν ἀνίατον ἕλκος γενέσθαι, τῷ δὲ ἐπάρατον τύχην καὶ ξυμφοράν, τούτῳ δὴ χάριν τῷ δαίμονι διδόντα, καὶ μὴ ἐναντιούμενον, τὸν μὲν θάνατον ἀφελεῖν τοῦ τρώσαντος. caet.

(72) Legg. IX. p. 652 B. — ὅταν σοι προσπίπτῃ τι τῶν τοιούτων δογμάτων, ἴθι ἐπὶ τὰς ἀποδιοπομπήσεις, ἴθι ἐπὶ θεῶν ἀποτροπαίων ἱερὰ ἱκέτης, ἴθι ἐπὶ τῶν λεγομένων ἀνδρῶν ὑμῖν ἀγαθῶν ξυνουσίας. caet.

quod statuat, non habere, nisi primum quid sit ipsa virtus penitus perspiciat, de qua tamen multis locis aliis, uti satis credo vidimus, disertis verbis pronunciat.

Satis ex locis, quae attulimus, patefactum esse arbitror, quam diligenter divinae providentiae rationem habuerit Plato in legibus ferendis et in civitate instituenda, et quam firmiter ei adhaeserit persuasioni, a criminibus averti homines Deorum immortalium auxilio atque cura.

Sed etiamsi tanto amore Deus humanum esset genus complexus, nihilominus tamen justus est: nam quoniam ordinem amat ac pulcritudinem, permittere nequit, ut quisquam rerum ordinem temere misceat atque turbet vel honestatis venustatem dedecoret. Deus igitur, secundum Platonem, eo ipso, quod et virtutem et homines amat, bonos praemiis, improbos poenis afficit.

Omne honestum pulcrum esse statuebat Plato, et nisi quis probus esset, eumdem felicem esse negabat. Hinc admirabilis illa Socratis cum Callicle altercatio in Gorgia, disertis verbis declarantis, non modo injustum esse infelicem, sed eumdem, nisi puniatur, in majorem calamitatem incidere, quam si judices latuisset, aut divinam vindictam evitasset: nec majori quemquam inimicum suum posse damno afficere, quam si eum, ubi malum quoddam facinus perpetrasset, judici non deferret (73). Satis inde patet, quid sibi velit, quod modo dicebam, Deum, quod homines amaret, eos, de sententia Platonis, non praemiis modo ornare, ubi honestatem coluissent, sed poenis etiam afficere, ubi peccassent.

Latissime haec per Platonis scripta ratio patet, neque huc etiam, non magis quam antea, omnia afferre loca opus est. Universam indicasse rationem sufficiat.

Primum igitur ipsa honestas purissimam nobis affert voluptatem, nam *omnium rerum jucundissimum est, a Diis hominibusque laudari nec cuiquam nocere* (74). *Valde divites boni non sunt: quod si boni non sint, felices esse nullo modo possunt* (75). Hinc etiam quod in Reip. libro V. custodum vi-

(73) Cf. Rep. II. p. 430 F. G.
(74) Legg. II. p. 579 H.
(75) Legg. V. p. 611 B. *οὐκ εἰσὶν οἱ παμπλούσιοι ἀγαθοί· εἰ δὲ μὴ ἀγαθοί, οὐδὲ εὐδαίμονες.* cf. locus insignis supra allatus Leg. X. p. 672 D. E. F. Cf. Alcib. I. 59. *οὐκ ἄρα οἷόν τε, ἐὰν μή τις σώφρων καὶ ἀγαθὸς ᾖ, εὐδαίμονα εἶναι· οὐκ ἄρα ὁ πλουτήσας ἀθλιότητος ἀπαλ-*

vitam beatam esse ostendat Plato, quoniam simillima sit vitae Deorum, qui idcirco etiam felices sint, quod nihil possideant, nulla re egeant, quod civitatis custodibus item contingere statuit.

Nec tamen, ut Stoici postea, Plato sapientem etiam in Phalaridis tauro beatum esse praedicabat, sed cum res externas ad felicitatem et ad vitae humanae usum necessarias esse diceret, et honestum virum a tyranno supplicio affectum revera miserum esse concederet, miseriorem tamen ipsum tyrannum censebat, quippe qui vere esset infelix, quod virtutis illum oblivio cepisset (76).

Sed praeter hanc voluptatem virtuti insitam, et calamitatem necessario cum vitiis conjunctam, a Diis immortalibus nobis cum in hac, tum in alia vita post mortem corporis, proposita sunt praemia ac poenae, quibus malefacta puniantur, justitia remuneretur.

Deos enim non latet sive justus, sive injustus: et si non latent hic quidem a Deo odio habetur, alter vero amatur. Justo autem optima quaeque a Diis tribuuntur, nisi si necessarium quoddam ei malum relictum sit ex superiori quodam scelere. Et ita quidem de justo viro judicandum, sive pauperie affligatur, sive morbo, sive alia quadam calamitate, quae a nobis ita appellantur, id ei vel viventi vel mortuo emolumento futurum: numquam enim a Deo negligitur is, qui justus fieri vir conetur, et, quoad contingere possit homini mortali, similis evadere Deo (77).

Ille vero qui Deo repugnat, sive animi magni atque excelsi veluti tumore fastidioque exsultans, sive opibus, honoribus, forma elatus, ita ut nullo du-

ἀπαλλάττεται, ἀλλ' ὁ σωφρονήσας. οὐκ ἄρα τειχῶν, οὐδὲ τριηρῶν, οὐδὲ νεωρίων δέονται αἱ πόλεις, ὦ Ἀλκιβιάδη, εἰ μέλλουσιν εὐδαιμονήσειν, οὐδὲ πλήθους, οὐδὲ μεγέθους, ἄνευ ἀρετῆς.

(76) Gorg. 64. cf. 72. 135. Οὗτος ἔμοιγε δοκεῖ ὁ σκοπὸς εἶναι, πρὸς ὃν βλέποντα δεῖ ζῆν, καὶ πάντα εἰς τοῦτο τὰ αὐτοῦ συντείνοντα καὶ τὰ τῆς πόλεως, ὅπως δικαιοσύνη παρέσται καὶ σωφροσύνη τῷ μακαρίῳ μέλλοντι ἔσεσθαι, οὕτω πράττειν, οὐκ ἐπιθυμίας ἐῶντα ἀκολάστους εἶναι, καὶ ταύτας ἐπιχειροῦντα πληροῦν, ἀνήνυτον κακὸν, λῃστοῦ βίον ζῶντα. Porro totus fere VIII. Reip. liber et IX. in hoc argumento versatur.

(77) Rep. X. p. 518 C. — Οὕτως μὲν ἄρα ὑποληπτέον περὶ τοῦ δικαίου ἀνδρὸς, ἐάν τ' ἐν πενίᾳ γίγνηται, ἐάν τε ἐν νόσοις, ἤ τινι ἄλλῳ τῶν δοκούντων κακῶν, ὡς τούτῳ ταῦτα εἰς ἀγαθόν τι τελευτήσει ζῶντι ἢ καὶ ἀποθανόντι· οὐ γὰρ δὴ ὑπό γε θεῶν ποτὲ ἀμελεῖται ὃς ἂν προθυμεῖσθαι ἐθέλῃ δίκαιος γίγνεσθαι, καὶ ἐπιτηδεύων ἀρετὴν, εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ ὁμοιοῦσθαι θεῷ. cf. Apol. Socr. p. 369 C.

duce, nullis praeceptis se indigere existimet, se ipsum vero aptissimum esse, ut aliis imperet, hic a Deo relinquitur, et quum aliis, sibi similibus, sese adjungat, brevi post Dei vindicta correptus, omnia miscens ac turbans, se ipsum et domum et patriam funditus evertit (78).

Δίκη igitur apud Platonem quoque, ut apud veteres Poëtas, Deum sequitur (79).

Itaque eos v. c., quibus orphanorum est cura commissa, meminisse jubet Plato, Deos immortales non negligere orphanorum orbitatem (80).

Parentes nos colere decet cogitantes, levium etiam volatiliumque sermonum gravissimam esse poenam constitutam, et Nemesin Δίκης *nuntiam omnibus esse praepositam, omniaque ejusmodi illam diligenter intueri* (81).

Omnino pulcherrimus et sapientiae plenissimus hic locus est de pietate, et, ut dicam, quod sentiam, tam parum Astio aliisque concedere possum, hos praestantissimos de Legibus libros, quibus multo insigniora et excellentiora de virtute praecepta continentur quam libris de Republ., idcirco Platoni abjudicandos esse, quod doctrina in iis proposita Platonis non congruat disciplinae, ut potius affirmare non verear, splendidissima Platonis ingenio detrahi ornamenta, si hi libri ei detrahantur, vel, si Platoni non tribuendi, alium exstitisse philosophum non minus dicendi facultate praestantem, prudentia vero et sapientia bene multis illum locis superantem.

In eamdem sententiam dicta sunt ea, quae leguntur in libro XI, quibus parentes senio confecti domi sunt, iis veluti thesauros quosdam (κειμήλια) adesse ei valde profutura, si recte colantur. Et paulo post, parentum impreca-

(78) Leg. IV. p. 600 G. ὁ δέ τις ἐξαρθεὶς ὑπὸ μεγαλαυχίας, ἢ χρήμασιν ἐπαιρόμενος, ἢ τιμαῖς ἢ καὶ σώματος εὐμορφίᾳ, ἅμα νεότητι καὶ ἀνοίᾳ Φλεγόμενος τὴν ψυχὴν μεθ' ὕβρεως, ὡς οὔτ' ἄρχοντος οὔτε τινὸς ἡγεμόνος δεόμενος, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις ἱκανὸς ὢν ἡγεῖσθαι, καταλείπεται ἔρημος θεοῦ· καταλειφθεὶς δὲ, καὶ ἔτι ἄλλους τοιούτους προσλαβὼν, σκιρτᾷ ταράττων πάνθ' ἅμα· καὶ πολλοῖς τισιν ἔδοξεν εἶναί τις, μετὰ δὲ χρόνον οὐ πολὺν ὑποσχὼν τιμωρίαν οὐ μεμπτὴν τῇ δίκῃ, ἑαυτόν τε καὶ οἶκον καὶ πόλιν ἄρδην ἀνάστατον ἐποίησε.

(79) Ibid. τῷ θεῷ δ' αἰεὶ ξυνέπεται δίκη, τῶν ὑπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός.

(80) Legg. XI. p. 680 G. τοὺς ἄνω θεοὺς φοβεῖσθαι, οἱ τῶν ὀρφανῶν τῆς ἐρημίας αἰσθήσεις ἔχουσιν.

(81) Leg. IV. p. 601 C. D. παρὰ δὲ πάντα τὸν βίον ἔχειν τε καὶ ἐσχηκέναι χρὴ πρὸς αὐτοῦ γονέας εὐφημίαν διαφερόντως· διότι κούφων καὶ πτηνῶν λόγων βαρυτάτη ζημία. πᾶσι γὰρ ἐπίσκοπος τοῖς περὶ τὰ τοιαῦτα ἐτάχθη Δίκης Νέμεσις ἄγγελος caet.

cationes adversus filios a Diis immortalibus exaudiri, aeque ac preces ab iis pro eorum salute factas (82).

Sed porro: *Quisquis cognatos et omnes eos, qui ad eosdem pertineant Penates, honoret et colat, eidem hos Deos sibi in liberis procreandis favere, existimare licet* (83). Deinde: *Peccata erga hospites commissa, erga Deum ipsum injuriae vindicem committuntur: hospes enim ab amicis et propinquis relictus, miserandus magis hominibus et Diis. Quare qui facilius ulcisci potest, ad opem ferendam est paratior, et facillime quidem potest hospitalis cujusque* DAEMON, *Jovem hospitalem sequens. Diligenter igitur cavendum cuique, cui vel minimum insit prudentiae, ne quidquam, dum vivat, in peregrinos committat mali* (84).

Omnium vero tam in hospitem, quam in cives peccatorum nullum majus est, quam quod contra supplices committatur. Deus enim, quo teste usus est supplex, cum pacta consequeretur, diligentissime eam, qua afficitur, injuriam intuetur (85).

Porro: *cauto et circumspecto judicio de aliis judicandum est, nam Deus indignatur, quoties quis quemdam sibi similem vituperet, dissimilemve laudet. Dei vero similis est vir honestus* (86).

Quod si haec jure miramur, quanto magis ea, quae in libro XI. invenimus, ubi jam non Platonem, sed ipsum Davidem vel Christum adeo

te

(82) Leg. XI. p. 682. *πατὴρ οὖν ὅτῳ καὶ μήτηρ, ἢ τούτων πατέρες ἢ μητέρες ἐν οἰκίᾳ κεῖνται κειμήλιοι, ἀπειρηκότες γήρᾳ, μηδεὶς διανοηθήτω ποτὲ ἄγαλμα αὐτῷ τοιοῦτον ἐφέστιον οἴκημα ἐν οἰκίᾳ ἔχων, μᾶλλον κύριον ἔσεσθαι, ἐὰν δὴ κατὰ τρόπον γε δῆτ' ὀρθῶς θεραπεύῃ αὐτὸ ὁ κεκτημένος.* D. etiam E. F.

(83) Legg. V. p. 605 D.

(84) Legg. V. p. 605 E. *σχεδὸν γὰρ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ξένων καὶ εἰς τοὺς ξένους ἁμαρτήματα παρὰ τῶν πολιτῶν εἰς θεὸν ἀνηρτημένα τιμωρὸν μᾶλλον. ἔρημος γὰρ ὢν ὁ ξένος ἑταίρων τε καὶ ξυγγενῶν ἐλεεινότερος ἀνθρώποις καὶ θεοῖς· ὁ δυνάμενος οὖν τιμωρεῖν μᾶλλον, βοηθεῖ προθυμότερον. δύναται δὲ διαφερόντως ὁ ξένιος ἑκάστων δαίμων καὶ θεὸς τῷ ξενίῳ συνεπόμενος Διΐ* — caet.

(85) Ibid. F. — *μεθ' οὗ γὰρ ἱκετεύσας μάρτυρος ὁ ἱκέτης θεοῦ, ἔτυχεν ὁμολογιῶν, φύλαξ διαφέρων οὗτος τοῦ παθόντος γίγνεται, ὥστ' οὐκ ἄν ποτε ἀτιμώρητος πάθοι ὁ τυχὼν ὧν ἔπαθε.*

(86) Minos p. 46. E. — *Νεμεσᾷ γὰρ θεὸς ὅταν τις ψέγῃ τὸν ἑαυτῷ ὅμοιον, ἢ ἐπαινῇ τὸν ἑαυτῷ ἐναντίως ἔχοντα. ἐστὶ δ' οὗτος ὁ ἀγαθός — πάντων ἱερώτατόν ἐστιν ἄνθρωπος ἀγαθός.*

te audire putes: *Quare nec tu*, inquit, *nec alius quisquam hanc divinam justitiam effugere se posse confidat. Nam qui hanc legem* (87) *sanxerunt, omnibus illam legibus firmius sanxerunt, ita ut tibi necesse sit, omnino illam vereri. Numquam enim ab illa negligeris, nec si ita parvus sis, ut sub terram te abdere, nec si ita sublimis, ut in coelum te extollere posses: dabis omnino, dabis debitam poenam, sive hic maneas, sive ad inferos proficiscaris, sive in agrestiorem etiam ac remotiorem locum recesseris* (88).

In eos vero, qui Deos facile placabiles esse affirmant, ita invehitur: *Qui dicat, Deos improbis ignoscere, si ipsius injustitiae fructus sibi ab illis tribuantur, idem facit, ac si eos canibus esse similes diceret, quibus lupi parvam praedae portionem impertiant, et qui his donis mansuefacti diripiendum illis gregem relinquant* (89).

Denique, Platonem existimare, esse utilissimum civitati ut Deos esse credant et magistratus et cives, nec eos vel negligere humana, vel facile eorum mentem sacrificiis precibusque converti, ex gravissimis patet poenis, quibus ejusmodi impios puniri jusserit (90).

Nec in hac vita modo, in alia item improbis male evenire, bonis optime necesse est. Scilicet cum in hac terra essent a Daemonibus, Deo jubente, animi locati, haec iis a summo Numine erat lex proposita, ut in suam quisque planetam migrarent, ibique beate viverent, vel cum Diis adeo vitam transigerent (91), si qui justitiam coluissent: alia vero vel hominum vel fe-

(87) Est haec illa lex et conditio, de qua supra p. 71. not. 66.

(88) Leg. XI. p. 672. E. *οὐ γὰρ ἀμεληθήσῃ ποτὲ ὑπ' αὐτῆς· οὐχ οὕτω σμικρὸς ὢν δύσῃ κατὰ τὸ τῆς γῆς βάθος· οὐδ' ὑψηλὸς γενόμενος εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναπτήσῃ· τίσεις δὲ αὐτῶν τὴν προσήκουσαν τιμωρίαν, εἴτ' ἐνθάδε μένων, εἴτε καὶ ἐν ᾅδου διαπορευθεὶς, εἴτε καὶ τούτων εἰς ἀγριώτερον ἔτι διακομισθεὶς τόπον.*

(89) Leg. XI. p. 675. B. *τοῦτον δὴ τὸν λόγον ἀναγκαῖον λέγειν, τὸν λέγοντα ὡς εἰσὶ συγγνώμονες ἀεὶ θεοὶ τοῖς τῶν ἀνθρώπων ἀδίκοις καὶ ἀδικοῦσιν, ἂν αὐτοῖς τῶν ἀδικημάτων τις ἀπονέμῃ· καθάπερ κυσὶ λύκοι τῶν ἁρπασμάτων σμικρὰ ἀπονέμοιεν· οἱ δὲ ἡμερούμενοι τοῖς δώροις συγχωροῖεν τὰ ποίμνια διαρπάζειν.* Cf. Alcib. II. 21. *οὐ γὰρ οἶμαι τοιοῦτον ἐστὶ τὸ τῶν θεῶν ὥστε ὑπὸ δώρων παράγεσθαι, οἷον κακὸν τοκιστήν. — Καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ.*

(90) Ibid. p. 673 et 674. cf. Lib. XII. p. 696. B.

(91) Phaed. p. 398. C. cf. p. 400. H.

ferarum corpora induerent, quatenus officiorum religionisque sanctitatem contempsissent (92).

Non opus erit, varias fabulas de statu animorum post hanc vitam, in Phaedone, Lib. X. de Rep. et in Gorgia, recensere, praesertim cum satis sint notae et pervulgatae: nec tamen satis demonstratum, quatenus veram suam in iis Plato sententiam aperuerit: at vero hoc constat ex omnibus, Deum proborum et improborum post hanc vitam habere rationem, et sua quibusque tribuere. Eorum, quae in libro de Rep. disputantur, haec est summa atque conclusio: *Reputantibus nobis animum esse immortalem, atque ita dispositam atque instructam, ut omnia possit perferre mala, omnibus frui bonis, illud nobis iter semper ob oculos sit positum, quo ad superiora tendamus, et justitiam prudentiamque colamus, quo magis nobis ipsi simus Diisque immortalibus amici, et ut, cum in hac vita, tum posteaquam praemia illa nobis proposita assecuti simus, et hic et in millium annorum itinere feliciter rem agamus* (93).

Ita etiam, quamvis optima quaeque semper et in hac vita sibi affore bonis viris nec immerito sperare liceat (94), *cum fieri fere nequeat, quin pauci tantum in hac vita felices sint, pulcherrima nobis spes proponitur, nos post mortem omnia consecuturos, id est, bona, quorum causa libentissime, dum vivat, optime vivere vellet quisque, et cum moriatur, quam fortissime vitam relinqueret* (95). Quocirca etiam in Phaedone bona de se sperare jubet illum, quicunque, corporis voluptatibus neglectis, iis, quae ad veram scientiam pertinent, studuisset, nec alieno, sed proprio animum suum or-

(92) Tim. p. 531. C. cf. p. 552. B. E.

(93) Rep. X. fin. Ἀλλ' ἂν ἐμοὶ πειθώμεθα, νομίζοντες ἀθάνατον τὴν ψυχὴν, καὶ δυνατὴν πάντα μὲν κακὰ ἀνέχεσθαι, πάντα δὲ ἀγαθὰ, τῆς ἄνω ὁδοῦ ἀεὶ ἑξόμεθα· καὶ δικαιοσύνην μετὰ φρονήσεως παντὶ τρόπῳ ἐπιτηδεύσομεν, ἵνα καὶ ἡμῖν αὐτοῖς φίλοι ὦμεν καὶ τοῖς θεοῖς, αὐτοῦ τε μένοντες ἐνθάδε, καὶ ἐπειδὰν τὰ ἆθλα αὐτῆς κομιζώμεθα, ὥσπερ οἱ νικηφόροι περιαγειρόμενοι, καὶ ἐνθάδε καὶ ἐν τῇ χιλιετεῖ πορείᾳ, ἣν διεληλύθαμεν, εὖ πράττωμεν.

(94) Leg. V. p. 606. E.

(95) Epinom. p. 697. F. οὐ φημὶ εἶναι δυνατὸν ἀνθρώποις μακαρίοις τε καὶ εὐδαίμοσι γενέσθαι πλὴν ὀλίγων· μέχριπερ ἂν ζῶμεν τοῦτο διορίζομαι· καλὴ δὲ ἐλπὶς τελευτήσαντι τυχεῖν ἁπάντων, ὧν ἕνεκά τις προθυμοῖτ' ἂν, ζῶν τε ὡς κάλλιστ' ἂν ζῇ κατὰ δύναμιν, καὶ τελευτήσας, τελευτῆς τοιαύτης τυχεῖν. cf. p. 705. B.

ornamento condecorasset, temperantia, justitia, fortitudine, libertate, veritate (96): itemque, si mors totius esset hominis dissolutio, magno id futurum fuisse improbis lucro, qui hac ratione a corporis pravitate cum animo liberarentur, nunc vero, cum animum immortalem esse appareat, nullam malorum esse declinationem, nisi in eo positam, ut quam optimi sapientissimique evadant (97). Ita etiam in Critone, Plato leges Socratem alloquentes facit, eumque adhortantes, ne justitiam deserat, ut habeat, quo se apud judices, qui apud inferos sint, defendat: *etenim*, inquiunt, *sorores nostrae, scilicet Leges apud Inferos, non admodum benevole te exciperent, o Socrates, si quidem nos occidere aggressus esses* (98). Item in Menexeno Aspasia in elogio, homini suos dedecoranti, nec viventi nec mortuo, amicos esse sive Deos sive homines affirmat (99). Et paulo post probis atque honestis adolescentibus hujus vitae fatis exactis ad probos atque honestos patres proficiscendum esse praedicat (100).

Denique haec post hanc vitam hominum conditio est, auctore Platone, ut bonorum domicilium malos in vita sequenti recipere nequeat, sed similes semper illic etiam similibus gaudere (101). Item in Libro quinto Legum, maxima injustitiae poena esse in eo posita dicitur, ut improbis similes fiamus, quod facit, ut justos fugiamus et viros et sermones, et ab iis alienemur, et totos nos ad improbos applicemus (102).

Recte igitur Socrates in Gorgia ita Calliclem alloquitur, postquam ei pulcherrimum mythum de poenis post hanc vitam tradiderat: *haec reputans*, inquit, *id mihi firmiter persuadeo, omnibus mihi viribus enitendum esse, ut animum quam sanissimum judici exhibeam. Magis igitur cavendum, o Callicles, ab injustitia, quam a calamitate, et efficiendum, ut non probi videamur, sed simus revera, et si peccaverimus, poenam post ipsam justitiam secundo loco pro re optima habendam* (103)

Haec de poenis et praemiis secundum Platonem.

Quod

(96) Phaed. p. 401. A. (97) Ibid. p. 398. A.

(98) Crito 16. ed. Biest. et Buttm.

(99) Menex. p. 408. A. (100) Ibid. C.

(101) Theaet. 86 *ἂν μὴ ἀπαλλαγῶσι τῆς δεινότητος, καὶ τελευτήσαντας αὐτοὺς, ἐκεῖνος μὲν ὁ τῶν κακῶν καθαρὸς τόπος οὐ δέξεται, ἐνθάδε δὲ τὴν αὑτοῖς ὁμοιότητα τῆς διαγωγῆς ἀεὶ ἕξουσιν, κακοὶ κακοῖς συνόντες.* vid. supra. p. 71. not. 66.

(102) Legg. V. p. 604. E. (103) Gorg. 173 et 174.

Quod si omnia, quae de Platone disputavimus, ad summam quamdam redigere velimus, dicendum erit, *Platonem, cum statueret virtutem per se expetendam esse, idcirco quod pulchra sit et bona et vera, arctissime cum divina Natura illam conjunxisse, quoniam et haec quoque indole sua bona sit, nec tamen a Deo principium morale* (uti vocatur) *repetiisse, quoniam ita loqui non dubitaret, uti ostenderet, virtutem etiam sine Deo esse virtutem* (104). *Saepissime vero ita divinae excellentiae opinione usum esse, ut ostenderet, quantopere Deus summus ac Daemones in corporis atque animi conjunctione ejusdem ordinis ac bonitatis rationem habuerint, quam ipsi tantopere amarent, ut eamdem nobis naturae excellentiam impertirent; porro cum virtutis essentiam in eo poneret, ut quaeque animi facultas suo fungeretur officio, et harmonia quadam atque consonantia ad unum omnes finem tenderent, ad vincendos nimirum necessarios materiae motus, et ad animum ex hujus corporis vinculis liberandum Deique quam simillimum reddendum: cum igitur in eo virtutis essentiam poneret, ad eam commendandam divini ordinis atque constantiae in hujus mundi partibus condendis ac disponendis eum nobis exemplum proposuisse; omninoque ita statuisse, divino munere nobis illud pulchritudinis, veritatis, honestatis inditum esse studium, ex vita ante acta ac specierum contemplatione ad hanc vitam traductum, nunc formarum venustate, coelestium corporum motu et sonorum concentu enutritum ac corroboratum: sed, etiamsi maximo haec documento essent, Deos immortales summa benevolentia genus complecti humanum, ob id ipsum, quod boni sint et perfecti, item justos esse, ex quo fiat, eos ita rerum ordinem, tum in hac vita, tum post eam, descripsisse, ut recte factis praemia exstarent, supplicia peccatis, multaque inde ab eo eaque gravissima officiorum praecepta, virtutisque subsidia, incitamenta atque praesidia esse deducta.*

Haec habui, quae de Platonis sententia hoc loco exponerem.

Multus fui nec immerito, in gravissimi viri laudibus celebrandis cum de admonitionibus ad bene justeque vivendum agerem, quibus undique libros suos refersit: at vero cum tot tantisque admonitionibus excitatus, justitiam ipse

(104) De principio morali in Platonis scriptis cf. disputatio acutissimi Viri van Volkom in Versione Belgica libri Garviani, Oordeelk. beschouwing van de Stelsels van Zedekunde van Aristoteles tot op Kant.

ipse negligere nolim, antequam ad alios transeam, monendum puto, me, etiamsi singula praecepta ac sententias laudem, longe tamen abesse, ut omnem Platonicam rationem omnino et ubique probem. Nam cum Plato omnem veri notam a sensibus removeret, et Ideas illas sive species in philosophiam introduceret, et ad illas contemplandas philosophi animum revocaret, ita ut in eo studio summum bonum poneret, quod sine arithmetica, mathesi et astronomia neminem consequi posse affirmabat (105): primum statuit aliquid, quod quomodo demonstrari possit non video; deinde ad vanas meditationes et inanes hallucinationes virum sapientem traduxit, quarum fructus ad vitae communis usum omnino nullus esset. Etenim, si quaerimus, quaenam sint Platonicae de Ideis disciplinae fundamenta, quibus etiam moralis disciplina magna ex parte nititur, fatendum erit, nulla satis firma, vel potius omnino nulla in ejus scriptis inveniri; deinde, cum animadvertimus cum divina illa harmonia (quae primo obtutu sane nos pulcritudinis et venustatis commendatione capit,) arctissime illud esse placitum conjunctum: singulorum felicitatem universi felicitate contineri, quod contra statuerat Socrates, et quod nemini facile humanitatis ac liberalitatis amanti placeat (106); denique cum videmus ex eadem illa notionum de honestate et pulcritudine conjunctione, de qua supra egimus, orationem oriri obscuram et mysticam, quae si ad adolescentulos imprudentes habeatur, non omnis sit periculi vacua, ad sanae mentis viros inanis certe ac supervacanea, haec igitur cum animadverto, quin candide fatear, me cohibere nequeo, non tantum mihi videri disciplinae morali a Platone, divinae adeo bonitatis notione ac pulcritudinis veritatisque adhibitis Ideis, accessisse emolumenti, ac primo obtutu expectaremus.

Accedimus ad Platonis discipulos, qui a scholae nomine Academici appellati sunt. Eadem nos, quae antea in philosophis, qui ante Socratem fuerunt, recensendis, monumentorum inopia premit, ita ut quaenam horum virorum fuerint placita, ex ipsorum scriptis statuere non liceat. Aliorum igitur erit testimonio auctorum nitendum. Horum autem, praeter Diogenem Laërtium, principes sunt Sextus Empiricus et Cicero. Sed, quemadmodum an-

(105) Vid. Rep. VI. inde a med. usque ad finem.

(106) Cff. ea, quae in hoc argumento disputata sunt ab Aristotele Rep. II. 5. Opp. T. II. p. 239. F.

antea, in veterum philosophorum placitis tradendis, physices studio animos a morali philosophiae parte vidimus abductos, ita in iis certe veteris aevi monumentis, quibus temporum injuria pepercit, post Platonem omnes in disputationibus de nota veri et falsi offendimus occupatos; et quemadmodum antea inquisitiones de rerum origine et coelestium corporum motu nos de moribus ac rebus, ad vitae humanae usum utilibus, cogitare non sinebant, ita nunc quaestiones de veri perceptione et assensione, de comprehensione et visis (et quaecunque alia ejusmodi verba a Cicerone in Romanam philosophiam illata sunt) nos ad se rapiunt et a morum disciplina officiorumque praeceptis abducunt. Primae Academiae philosophi de morali doctrina egerunt quidem, et Platonem plerumque secuti videntur: nam ex Diogene Laërtio scimus, eos in morali argumento saepe versatos fuisse; et Varronis apud Ciceronem habemus testimonium, Speusippum et Xenocratem, Polemonem, Cratem et Crantorem diligenter iis, quae a superioribus accepissent, usos esse (107): sed peculiarem disciplinarum ab istis philosophis traditarum notitiam scriptores, quibus hoc loco uti debemus, non servarunt, et praecipue ad illas, quas dixi, quaestiones attenderunt. Paucissimis quibusdam apud Ciceronem, Stobaeum, Clementem Alex. de Diis atque animo humano placitis exceptis, neque iis adeo in moralis doctrinae usum conversis, totum in disputationibus de nota veri et falsi versatur argumentum. Vellejo Speusippum et Xenocratem accusanti, illos evellere ex animis cognitionem Deorum (108), non credimus, quod (uti dictum est supra) satis certo constat, illos in praecipuis Philosophiae locis Platonem secutos esse (109).

Sed etiamsi hoc de primis illis Platonis successoribus, Speusippo, Xenocrate, et de prima omnino schola usque ad Crantorem affirmari liceat, longe ab ejus instituto abierunt Arcesilas II^ae et Carneades III^ae Academiae patres. Hi omnem veri falsique notam tollebant, et omnino nec percipi nec comprehendi quidquam posse existimabant, quod morali disciplinae non multum emolumenti attulisse putandum est. Quare etiam Cicero in Libro primo Legum; *perturbatricem autem harum omnium rerum*, inquit, *Academiam*

(107) Acad. Quaest. I. 9.
(108) Cic. Nat. Deor. I. 13.
(109) De Xenocrate cf. D. v. d. Wynpersse de Xenocrate Chalced. c. II. §. 2. et loca ibi allata.

miam hanc ab Arcesila et Carneade recentem exoremus ut sileat. Nam si invaserit in has, quae satis scite nobis instructae et compositae videntur rationes, nimias edet ruinas, quam quidem ego placare cupio, submovere non audeo (110): etsi in Academicorum quarto ostendit, non eo hanc Carneadis dubitationem valere, ut omnis vitae eversio sequatur, nec relinquatur probabilitas, qua si utatur sapiens, omnis ratio vitae gubernetur (111); quod declarat etiam Sextus Empiricus in Opere adversus Mathematicos, ubi dicit Arcesilam, quamvis cohiberet assensionem, in prudentia tamen et virtute probabilitatem sequi (112), itemque Carneadem visa probabilia assumere (113). Et quamvis ab eodem scriptore Carneadis soritas videamus laudatos, quibus probari posse contenderet non esse Deos (114), eum non continuo inter Atheos relegabimus, quippe qui non idcirco disputaret, ut ostenderet vera esse, quae probare conaretur, sed tantummodo ut Dogmaticorum temeritati adversaretur, caeterum, ut Sceptici, nec Deos nec honestatem ex vita communi expellens (115), quin praestantissimum ejus praeceptum ad moralem disciplinam pertinens apud Ciceronem invenimus (116).

Ob eamdem rationem non est, quod dicamus de Carneadis orationibus pro et contra justitiam, quippe quae magis ad Sophistarum declamationes quam ad Philosophorum disputationes referendae sint (117), et ad idem institutum pertineant, ut ostenderet in utramque partem de re quaque disputari posse.

Eadem plane ratione judicandum est de iis, quae in tertio libro de Natura Deorum contra Deorum existentiam ac providentiam a Cotta Academico disputantur, quemadmodum idem Cotta declarat, ubi dicit, haec omnia non idcirco a se disputata esse, ut naturam Deorum tolleret, sed ut, quam esset obscura, et quam difficiles explicatus haberet, intelligeretur

(110) Legg. I. 13.
(111) Acad. IV. 31. cf. 34. elegans locus de Carneade temeritatem ex animi extrahente.
(112) Adv. Math. VII. p. 167. D.
(113) Ibid. p. 169. B. (114) Ibid. VIII. p. 337 et 349.
(115) Ibid. p. 317. C. et Pyrrh. Hyp. p. 109. A.
(116) Fin. II. 18.
(117) Cf. Lactant. Div. Instit. V. 14. 19.

tur (118); et praeterea natura Deorum sublata, non tolli honestatem ostendit paullo ante, ubi, cum argumenta contra divinam providentiam attulisset ex eo, quod saepe probi infelices sint, mali summa fruantur felicitate, ita pergit: *Invita in hoc loco versatur oratio: videtur enim auctoritatem afferre peccandi: recte videretur, nisi et virtutis et vitiorum, sine illa divina ratione, grave ipsius conscientiae pondus esset; qua sublata, jacent omnia* (119). Et simul etiam hinc fortasse concludi licet, proprium quemdam virtuti decorem Academicos adscripsisse, nec dignitatem ejus a divina natura repetiisse, de qua, ut pote difficile atque obscura, quid statuerent, ipsi dubitarent. Sed et nobis, in tanta veterum monumentorum inopia, ipsa hujus rei obscuritas, more Academico, assensum cohibere jubet.

Neque etiam necessarium esse existimo, hoc loco de Antiochi Academici ratione dicere, quam exposuit Piso apud Ciceronem in libro quinto de Finibus: nam et in hoc libro non a Deo, sed a propria sibi insita pulchritudine virtutis dignitas derivatur; praeterquam fortasse, quod animi bona corporis bonis praeponenda esse inde concludatur, quod illa e ratione gignantur, nihil vero in homine ratione insit *divinius* (120), quam vocem tamen scimus saepe excellentiam quamdam, etsi non a Deo derivatam indicare.

Itaque ad alium Platonis discipulum transeamus, qui novam ipse scholam in Lyceo instituit, Aristotelem Stagiritem.

SECTIO VII.

De Aristotele et Peripateticis.

A coelo in terras devocaverat philosophiam Socrates, et ad superos illam reduxerat Plato: Aristoteles eam rursus ad vitae usum et societatem hu-

(118) N. D. III. 39.
(119) N. D. 35.
(120) Fin. V. 13.

humanam accommodavit. Neque tamen in eo erat Socrati similis, quod de moribus tantum ageret, caeterarum artium cognitionem supervacaneam vel inutilem duceret: imo vero omnes hujus aetatis philosophos doctrinae copia ac varietate superabat. Sed in eo erat simillimus Socrati, quod a morali philosophiae parte inutiles disputationes de Ideis atque Essentiis secluderet, nec morum disciplinae temere physicam immisceret.

Quoties de clarissimorum horum triumvirorum in philosophiam meritis cogito, toties satis mirari nequeo, singulos ratione diversa atque interdum plane contraria tantos ac tam praestantes in philosophia exstitisse. Aristotelem acumen et doctrinae copia, Platonem fervor et ingenii subtilitas, Socratem humanitas et ipsa paene virtus commendabat. Neque haec tamen ita accipi velim, ac si illas, quibus eorum quisque excellat, dotes, a caeteris penitus secluderem. Illud quidem affirmare non dubito, Aristotelem in morali disciplina ad vitae usum adaptanda longe melius Platone Socratem imitatum esse. At si quaerimus, qua potissimum ratione Deorum in moralem doctrinam numen induxerit, et quidnam divinae existentiae et providentiae notione ad virtutem excolendam ac commendandam emolumenti attulerit, nostrarum nos paene in illum collatarum laudum poenitet, et fere ad Platonis Ideas ac XII. Deorum Chorum confugimus. Neque tamen, quo suam de hisce rebus opinionem defendat vir summus, caret omnino. Nemo fortasse magis divini Numinis praestantiam ac potentiam perspexerat, nec magis sibi persuaserat, quemadmodum terra nostra longe a summi Numinis suprema sede dissideret, ita ejus cognitionem ab ingenii nostri imbecillitate varietateque esse remotam, et idcirco fortasse minus quam exspectaremus, imo vero etiam minus quam par esset, ad virtutem commendandam supremi hujus universi Rectoris notionem adhibuit. Sed, ne nobismet ipsis de hisce in posterum loquendi facultatem praeripiamus, continuo incipiamus, et Aristotelis doctrinam accurate consideremus.

De libris Aristotelis nonnullis, de Mundo, Metaphysicis, Magnis Moralibus, Moralibus ad Eudemum eadem dubia exstiterunt ac de quibusdam Platonicis dialogis. Sed quoniam haec mihi non tanti videantur, ut idcirco hos libros audacter rejiciam, neque etiam nunc de his rebus disputandi locus sit: loca quae ibi inveniuntur, negligere nolui, praesertim cum libri, qui in morali argumento versantur, etiamsi non ab Aristotele profecti sint, ita cum uni-

universa ejus disciplina congruant, ut, nisi ad magistrum, ad discipulum certe quemdam pertineant, qui doctorem diligentissime secutus sit.

Quidquid de iis, quae in Physicis prodidit Aristoteles, disputent nonnulli, mihi Aristoteles diserte de Deo et Providentia pronuntiasse visus est; nec multum Velleji apud Ciceronem in eum reprehensionibus moveor, quippe quae ex persona Epicurei disputentur: praesertim cum satis luculenta testimonia habeamus, quae etsi numero pauca, satis tamen habent gravitatis ut iis Velleji accusationem diluere possimus, vel quibus certe probabile fiat eum Aristotelicum illum de philosophia librum, de quo loquatur, perperam interpretatum esse.

Primum habemus ea, quae Libro VII. Physicorum de motus causa et primo motore dixit, etsi libenter fateor, multa his libris inesse, quae non intelligo, et magnas me gratias habiturum ei, qui hasce difficultates mihi tollere voluerit. At vero *Primo Motori* tamen diserte *immortalitatem immutabilitatem*que tribuit Aristoteles (1), quem locum respexisse videtur Ammonius, cum haec ad Deum pertinere diceret (2); porro in eodem libro demonstrare conatur Aristoteles, hanc primam causam expertem esse et magnitudinis et materiae (3). Aperte declarat casum et fortunam posteriorem esse et mente et natura (4), et alio loco, omnium rerum ordinem a Deo servari (5), unde patet, cum dicat, omnium rerum causam esse naturam, necessitatem ac fortunam, has tamen menti, quam iis statim addit, esse subjectas (6). In libro de Mundo dicit, omnium, quae rerum natura complectitur, et patrem esse et gubernatorem Deum (7), quem, quum in suprema mundi parte locaret, proxima quaeque et minime a divino numine remota, maxime divina vi atque natura affecta esse statuit, quae vero longius ab hoc veluti vitae fonte atque praesidio distarent, omnium minime hisce dotibus et divina adeo pro-

(1) Phys. VIII. 6. T. I. p. 328. F.
(2) Ammon. Vita Arist. ante edit. anni 1605.
(3) Phys. VIII. 10. praesertim p. 336. E.
(4) Phys. II. 6.
(5) De Coelo II. 1. τῶν ὅλων τάξις ὑπὸ θεοῦ καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη. cf. Eudem. VII. 14. T. II. p. 216. H.
(6) Nicom. III. 5. T. II. p. 24. B.
(7) De Mundo C. 6. T. I. p. 471. F.

procuratione perfrui, ad quae terram nostram pertinere contendebat (8). Nihil tamen Deus, etiamsi longissime a se remotum, negligere existimandus est, cum ejus vis ac potestas, per universas hujus mundi partes permeans, etiam in hisce remotissimis regionibus salutis atque incolumitatis fons sit atque praesidium, quoniam semel proximis, veluti impetu quodam divino atque contentione excitatis, eodem tempore per caeteros magnos hujus quasi catenae annulos ejusdem impetus societatem ac veluti repercussionem propagaret (9).

At vero, ubi quaeritur quemadmodum hanc divinae naturae praestantiam ad mores et honestatem retulerit, non habeo fere, quod respondeam. Etenim negari nequit, Aristotelem, omnibus hisce locis, ubi haec de divina existentia ac providentia placita inveniuntur, potissimum de naturalium rerum ordine disserere, rarissime vero res humanas, quatenus ad virtutem ac probitatem pertineant, hisce locis attingere. Uno enim alterove loco in fine hujus libri excepto, ubi dicit, *Deum esse principium et finem et medium rerum omnium, eique semper justitiam adesse, eorum, qui contra divinae legis instituta peccarint, vindicem, cujus, qui felix esse cupiat, ab initio inde ut particeps fiat, conari oportere* (10), uno hoc loco excepto, alteroque, de quo postea, virtutem in hocce de providentia libro non attingit: et vero etiam si ex comparationibus quibusdam, hujus divinae administrationis illustrandae causa illatis, ad rem ipsam concludere liceat, magis mihi illa, quam introducit, divina rerum coelestium et terrestrium procuratio talis quaedam hujus universi ordinatio videtur, quae, cum semel omnibus provinciam suam officiaque indicarit, facit, ut, dato signo, quisque suis muneribus perfungatur, quam talis omnium et singulorum administratio, quae semper et ubique et minimis adeo et consulat et provideat.

Hanc suspicionem a me arcere non potui, praesertim cum illam legerem com-

(8) Ibid. G. H.

(9) De mundo 6. T. I. p. 472. E. F. et p. 474. G. Καθόλου δὲ, ὅπερ ἐν νηῒ κυβερνήτης, ἐν ἅρμασι δὲ ἡνίοχος, ἐν χορῷ δὲ κορυφαῖος, ἐν πόλει δὲ νόμος, ἐν στρατοπέδῳ δὲ ἡγεμών· τοῦτο θεὸς ἐν κόσμῳ — ἐν ἀκινήτῳ ἱδρυμένος, πάντα κινεῖ, καὶ περιάγει, ὅπου βούλεται, καὶ ὅπως, ἐν διαφόροις τε ἰδέαις καὶ φύσεσιν.

(10) Ibid. p. 476. A. ὁ μὲν δὴ θεὸς, ὥσπερ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν, καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθεῖα περαίνει κατὰ φύσιν πορευόμενος· τῷ δὲ ἀεὶ ξυνέπεται δίκη, τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός· ἧς ὁ εὐδαιμονήσειν μέλλων μακάριός τε καὶ εὐδαίμων, ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη.

comparationem, qua hujus universi imperium cum exercitu, imperatoris jussu veluti excitato, conferat Aristoteles, ita ut statim sua quisque agat, simulac classicum intonuerit (11). Attamen, ubi melius edocear hoc urgere nolo. Dei vero cum lege comparatio ad mores non pertinet, nam statim, ubi haec inducitur comparatio, ad naturae motus, ratis ordinibus descriptos, illam pertinere declarat (12).

Et omnino, etiamsi ita de Deo loqueretur Aristoteles ut illum potentissimum, formosissimum, immortalem, praestantissimumque esse diceret (13), tamen ad virtutem et mores non magnopere hanc praestantiam retulisse videtur, non quod Deum sibi virtutis expertem effingeret, sed quod altius illum collocaret, quam ut ad eum vel ipsa virtus attingere posset. *Dei virtus*, inquit, *nulla est: praestantior si quidem omni virtute Deus; nec virtute probus est Deus: Deo enim ita virtus esset melior* (14).

Ubi demonstrare conatur, veram felicitatem esse id quod appellare solet θεωρητικὴν ἐνέργειαν, hoc inde vel maxime patere declarat, quod Dii sint felicissimi: *At vero*, inquit, *quaenam iis actiones tribuendae? Justasne? at ridiculi videbuntur Dii contrahentes inter sese et deposita reddentes, caeteraque ejusmodi facientes; an vero fortes, ita ut terribilia non reformident et pericula subeant, quia id honestum sit? an liberales? at cui donabunt? nimirum nonne absurdum foret apud Deos esse nummum, vel tale quid affirmare? aut temperantes denique? sed nonne inepta laus foret, si diceremus, Deos carere libidine* (15)? Et hinc tandem concludit Diis, om-

(11) De Mundo c. 6. T. I. p. 473. E.

(12) Ibid. p. 475. B.

(13) Ibid. p. 473. G.

(14) Magn. Moral. II. 5. T. II. p. 130. A. οὐκ ἐστὶ θεοῦ ἀρετή· ὁ γὰρ θεὸς βελτίων τῆς ἀρετῆς, καὶ οὐ κατ' ἀρετὴν ἐστὶ σπουδαῖος, οὕτω γὰρ βελτίων ἔσται ἡ ἀρετὴ τοῦ θεοῦ. Simili argumentatione et hinc fortasse desumta, sed contra divinam naturam, utitur Cotta Academicus apud Ciceronem de N. D. III. 15.

(15) Nicom. X. 8. T. II. p. 103. F. G. τοὺς θεοὺς γὰρ μάλιστα ὑπειλήφαμεν μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι· πράξεις ἀπονεῖμαι χρεὼν αὐτοῖς; πότερα τὰς δικαίας; ἢ γελοῖοι φανοῦνται συναλλάττοντες καὶ παρακαταθήκας ἀποδιδόντες, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα; ἀλλὰ τὰς ἀνδρείους; ὑπομένοντας τὰ φοβερὰ καὶ κινδυνεύοντας, ὅτι καλόν· ἢ τὰς ἐλευθερίους; τίνι δὲ δώσουσιν; ἄτοπον δ', εἰ καὶ ἔσται αὐτοῖς νόμισμα ἤ τι τοιοῦτον. εἰ δὲ σώφρονες, τί ἂν εἶεν; ἢ φορτικὸς ὁ ἔπαινος, ὅτι οὐκ ἔχουσι φαύλας ἐπιθυμίας.

omni actione ademtâ, nihil relinqui praeter illam *contemplativam facultatem*, θεωρητικὴν ἐνέργειαν.

Ita etiam alio loco veram felicitatem magis quiete quam motu cerni dicit; hanc esse felicitatem qua Deus fruatur, una, immutabili, simplici (16); semper enim idem placere ei cujus natura simplex sit.

Et haec rursus confirmant ea, quae supra diximus de providentia, quae inde ab initio omnia disposuerit potius, quam ut perpetua cura iis diligenter consulat.

Porro cum nulla re egeat Deus, non opus habet amicis (17), et propter naturae suae excellentiam nihil praeter se ipsum cogitat (18); quod tamen non ita accipi debere, ac si nullam rerum a se procreatarum curam gerat, satis illa evincunt loca, quae sunt de providentia. Sed ne amori quidem Deum inter et nos multum tribuit Aristoteles, nec jure dici posse statuit, nos Deum amare (19). Nec Deus nos amat, nisi ut Princeps subditos. *Imperanti enim*, inquit, *tantum convenit amari*, *non amare*, *certe longe alia ratione* (20): ubi tamen quemdam amorem hominibus erga Deum tribuit, quod quomodo cum loco supra allato congruat, nondum satis perspicio; sed hic amor magis reverentiae et pietati quam amori similis videtur secundum Aristotelem, ut locus ex Nicomachicis indicat: *est quidem amor liberorum erga parentes et hominum erga Deos; sed ut erga id quod Bonum est et excellens* (21).

Om-

(16) Nicom. VII. 15. T. II. p. 74. G. ἐπεὶ εἴ του ἡ φύσις ἁπλῆ εἴη, ἀεὶ ἡ αὐτὴ πρᾶξις ἡδίστη ἔσται· διὸ ὁ θεὸς ἀεὶ μίαν καὶ ἁπλῆν χαίρει ἡδονήν· οὐ γὰρ μόνον κινήσεως ἐστιν ἐνέργεια, ἀλλὰ καὶ ἀκινησίας· καὶ ἡδονὴ μᾶλλον ἐν ἠρεμίᾳ ἐστὶν ἢ ἐν κινήσει.

(17) Eudem. VII. 12. T. II. p. 212. E. δῆλον γὰρ ὡς οὐδενὸς προσδεόμενος οὐδὲ φίλου δεήσεται.

(18) Ibid. p. 213. G. ὁ θεὸς βέλτιον ἔχει ἢ ὥστε ἄλλο τι νοεῖν αὐτὸς παρ' αὑτόν.

(19) Magn. Mor. II. 11. T. II. p. 139. A. ἔστι γὰρ, ὡς οἴονται, φιλία καὶ πρὸς θεὸν καὶ τὰ ἄψυχα οὐκ ὀρθῶς· τὴν γὰρ φιλίαν ἐνταῦθα φαμὲν εἶναι, οὗ ἐστι τὸ ἀντιφιλεῖσθαι· ἡ δὲ πρὸς θεὸν φιλία οὐδὲ ἀντιφιλεῖσθαι δέχεται, οὔθ' ὅλως τὸ φιλεῖν· ἄτοπον γὰρ ἂν εἴη εἴ τις φαίη φιλεῖν τὸν Δία.

(20) Eudem. VII. 3. γελοῖον γὰρ εἴ τις ἐγκαλοίη τῷ θεῷ, ὅτι οὐχ ὁμοίως τῷ ἀντιφιλεῖσθαι αὐτὸς ἀντιφιλεῖ (lectio Sylburgiana), ἢ τῷ ἄρχοντι καὶ ἀρχομένῳ· φιλεῖσθαι γὰρ, οὐ φιλεῖν τοῦ ἄρχοντος, ἢ φιλεῖν ἄλλον τρόπον.

(21) Nicom. VIII. 14. ἔστι δ' ἡ μὲν πρὸς γονεῖς φιλία τέκνοις, καὶ ἀνθρώποις πρὸς θεοὺς, ὡς πρὸς ἀγαθὸν καὶ ὑπερέχον. T. II. p. 83. E. cf. c. 9. p. 80. A. δῆλον δὲ, (ἴσον et ita etiam φιλίαν non adesse) ἐὰν πολὺ διάστημα γίγνηται ἀρετῆς ἢ κακίας, ἢ εὐπορίας, ἤ τι-

Omnino magnifice sane de Deo cogitabat Aristoteles: at reverebatur, et vero metuebat illum magis, quam eum amaret ac diligeret. In Libro secundo magn. Mor. c. 15. satis ostendit, absurdum sibi videri multum de Deo disputare, quoniam cognosci a mortali homine numquam posset.

Sed etiamsi, de Aristotelis sententia, Deus homines tamquam imperans subditos amat, nihilo secius illis tamquam Dominus benevolus ac justissimus consulit.

Si hominibus quidquam a Deo tribuitur, inquit, profecto felicitas iis tribuitur (22); et alio loco felicitatis quoddam genus hominibus divino munere concedi declarat (23). De justitia ita pronuntiat: Deum, pro facultatum mensura sacrificia ipsi a nobis oblata aestimare (24). Porro absurdum dicit fore, si Deus non optimum quemque prudentissimumque diligeret (25). Denique in Rhetorica ad Alexandrum, oratorem de jurejurando loquentem dicere jubet: *nemo pejerare vellet cum divini supplicii metu, tum dedecoris apud homines: latere homines posse, qui pejerasset, Deos non posse* (26).

Ita etiam in libro de disciplina morali ad Nicomachum filium: *Si Dii immortales curam quamdam habent rerum humanarum, quemadmodum verisimile est, consentaneum est, eos maxime gaudere eo quod optimum sit sibique simillimum (hoc autem videtur esse mens), iisque gratias referre, qui illud maxime curent et colant, ut qui rem ipsis carissimam colant, rectasque atque honestas actiones obeant: atqui haec omnia sapienti inesse non dubium: sapiens igitur Deo carissimus, idemque felicissimus* (27).

A-

νος ἄλλου· οὐ γὰρ ἔτι φίλοι εἰσιν, ἀλλ' οὐδ' ἀξιοῦσιν. ἐμφανέστατον γὰρ τοῦτ' ἐπὶ θεῶν. πλεῖστον γὰρ οὗτοι πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ὑπερέχουσι.

(22) Nicom. I. 10.

(23) Eudem. VII. 14. T. II. p. 217. A.

(24) Eudem. VII. 10. T. II. p. 211. D.

(25) Eudem. VII. 14. p. 215. F. *ἄτοπον θεὸν ἢ δαίμονα μὴ φιλεῖν τὸν βέλτιστον καὶ τὸν φρονιμώτατον.* Conf. mythica in libro de Mundo, de juvenibus, praemiis ornatis, quod parentes ex Aetnae incendiis eripuissent, narratio c. 6. T. I. p. 474. E.

(26) Rhetor. ad Alex. C. 18.

(27) Nicom. X. 9. *εἰ γάρ τις ἐπιμέλεια τῶν ἀνθρωπίνων ὑπὸ θεῶν γίνεται, ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἴη ἂν εὔλογον χαίρειν τε αὐτοὺς τῷ ἀρίστῳ, καὶ τῷ συγγενεστάτῳ· τοῦτο δ' ἂν εἴη ὁ νοῦς· καὶ τοὺς ἀγαπῶντας μάλιστα τοῦτο καὶ τιμῶντας ἀντευποιεῖν, ὡς τῶν φίλων αὐτοῖς ἐπι-*

με-

Utrum vero etiam post hanc vitam proborum atque improborum habeat rationem Deus, in Aristotelis scriptis expressum non inveni. Imo vero multi fuerunt, qui dubitarent adeo, utrum de immortalitate animorum quidquam omnino tradiderit: quod tamen perperam ita statui, luculenter ostendit Wyttenbachius, Vir clarissimus, in Disputatione saepius laudata (28).

Sed cum de hac quaestione eruditissime dissertissimeque, ut semper, vir summus ageret, nescio, utrum duo loca eodem pertinentia consulto praeterierit, an vero ejus diligentiam fortasse effugerint.

In Nicomachicorum libri II. capite 2. Aristoteles quaerens, utrum amicorum res secundae vel adversae ad mortuos pertineant, existimat, si pertineant, id non tanti esse, ut beati hac re infelices, aut infelices beati fiant (29). Ex quo profecto apparet, Aristotelem judicasse fieri posse, ut mortuorum conditio vel jucunda vel ingrata esset. Altero loco ejusdem operis (Libri III. capite 9.) ita loquitur: *Omnium rerum nihil horribilius morte est. Nam omnium rerum est extremum, nihilque reliquum esse mortuo videtur neque bonum neque malum* (30). Sed hunc locum ita accipiendum esse, ut hic de eo loquatur, quod hominibus vulgo de morte videatur, satis patet ex contextu.

Quomodocunque sit, aut si verum sit id, quod legimus apud Plutarchum, Aristotelem in libro exoterico Eudemo, dudum perdito, ita pronuntiasse: *Mortuos divina quadam sorte frui ac felices beatosque esse* (31), nihil hoc quidem ad praesentem quaestionem: nam utrum haec felicitas ad om-

μελουμένους καὶ ὀρθῶς τε καὶ καλῶς πράττοντας· ὅτι δὲ ταῦτα πάντα τῷ σοφῷ μάλιστα ὑπάρχει, οὐκ ἄδηλον· θεοφιλέστατος ἄρα· τὸν αὐτὸν δ' εἰκὸς καὶ εὐδαιμονέστατον.

(28) Verhand. van Teyl. Gen. T. IV. p. 60—64.

(29) Ἔοικε γὰρ ἐκ τούτων εἰ καὶ διικνεῖται πρὸς αὐτοὺς ὁτιοῦν, εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε τοὐναντίον, ἀφαυρόν τι καὶ μικρὸν, ἢ ἁπλῶς, ἢ ἐκείνοις εἶναι. εἰ δὲ μὴ, τοσοῦτόν γε καὶ τοιοῦτον, ὥστε μὴ ποιεῖν εὐδαίμονας τοὺς μὴ ὄντας, μηδὲ τοὺς ὄντας μακαρίους ἀφαιρεῖσθαι τὸ μακάριον. συμβάλλεσθαι μὲν οὖν τι φαίνονται τοῖς κεκμηκόσιν αἱ εὐπραξίαι τῶν φίλων, ὁμοίως δὲ καὶ αἱ δυσπραξίαι· τοιαῦτα δὲ καὶ τηλικαῦτα, ὥστε μήτε τοὺς εὐδαίμονας μὴ εὐδαίμονας ποιεῖν, μήτ' ἄλλο τῶν τοιούτων μηδέν. p. 11. G.

(30) Pag. 27. D. Φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος, πέρας γάρ· καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ, οὔτε ἀγαθὸν, οὔτε κακὸν εἶναι.

(31) Plutarch. T. II. p. 115.

omnes pertineat, an vero ad probos tantum, cum literis non sit proditum, tuto Attico Platonico apud Eusebium consentire possumus, dicenti, Aristotelem quisnam mentis sit post mortem status non explicuisse (32).

Haec de Deo, de ejus providentia, benevolentia, justitia Aristoteles judicabat, et jam vidimus, raro Deum ab eo in philosophiam introduci, nec tamen omnino deesse loca, ubi divinae naturae vim atque praestantiam ad virtutem commendandam adhibeat, certe ita, ut iis uti alii possent ad virtutem commendandam. At vero magis fortasse ea usus est, ubi de officiorum fonte atque origine, de honestatis principiis initiisque agat: hic enim est alter locus, de quo in disputatione nostra de singulis philosophis agere solemus; quam divisionem vestra nobis, Viri Eruditissimi, hujus quaestionis instituendae ratio praescripsit quodammodo et delineavit. Sed cum caeteroquin, sicuti logica ratio postulat, primum de virtutis initiis, postremo de praeceptis agere consueverimus, nunc inverso ordine, cum prius, quid de Deo sentiret Aristoteles, ostendere vellemus, ipsa nos oratio ad ea, de quibus in superioribus sectionibus posteriore loco disputavimus, prius detulit.

Itaque nunc videamus, quaenam Aristotelis fuerint de officiorum fonte placita, et inde elicere conemur, quasnam in virtutis fundamentis constituendis divinae naturae partes tribuerit.

Hoc vero quum assequi non possimus, nisi omnem disciplinam delineëmus, quod tamen quam paucissimis fiet verbis, et cum non magnopere usus sit Aristoteles opinionibus de Deo, quodammodo a praesenti quaestione videbimur aberrare; quod tamen evitare non potui, nam mihi non satis videbatur praefracte negare, Aristotelem opinionibus iis, de quibus jam dudum loquimur, usum esse, sed etiam demonstrandum esse, rem ita se habere; et praeterea indicare loca volui, quibus effici possit, quatenus hasce opiniones tamen in universa ratione constituenda, quodammodo certe, adhibuisse videatur.

Moralem disciplinam Aristoteles proprio nomine *civilem* appellat *scientiam* (33). Haec complectitur summum bonum. Quid vero est summum bonum? Non quaerendum est hoc loco secundum Aristotelem, quid finis sit bonorum per se spectatus. Hoc ad Deos pertinet. Apud eos bonum et honestum

(32) Praep. Evang. XV. 9.

(33) Nicom. I. 1.

tum fortasse immutabile est, non item apud hominem (34). Non loquimur, inquit, de bono, quod per se bonum est, de eo, quod apud Deos bonum est, sed de eo, quod nobis bonum est (35). Hoc vero non est semper idem, sed mutatur, prout res mutantur, in quibus versamur. Non opus est, ut de universo illo Bono, sive de Idea Boni agamus: hoc nulla nec scientiae nec cogitationis vi ac ratione definiri potest. Omnibus continetur categoriis *quid? quomodo? quando?* caeteris. Medicus, quando ferrum adhibendum sit, novit; navis gubernator, quando navigandum: sed hic, quando ferrum adhibendum, ignorat; ille, quando e portu solvendum. Quisque artifex id, quod sibi bonum sit, cognitum habet: eadem omnino ratione scientiae civilis peritus. Quod si dicat forte quis, Ideam illam tamquam principium vel fundamentum esse adhibendum, unde caetera bona tamquam a communi fonte derivemus, is se vana loqui non videt. Etenim necesse est, principium immediate ad rem ipsam pertinere, et idem faceret is, qui tale quid aggrederetur, ac si, cum ostendere vellet, angulos trianguli aequales esse duobus rectis, tamquam principium assumeret, animum esse immortalem (36).

Hujus igitur Boni quod quaerimus, alterum auctore Aristotele ipsum est Bonum, alterum id, quod facit, ut hoc bonum assequamur. (Alias divisiones nunc consulto praetermittimus.) Quicunque primum possidet bonum, nihil expetit ultra; qui alterum, majus quiddam desiderat. Atqui quando minus desideramus, quam cum felices sumus? vel potius quidnam felix desiderat? et hoc uno nomine omnem perfectissimi cumulatissimique boni notionem complectimur (37). Ergo summum bonum est felicitas: non voluptas corporis, non divitiae, non honores, ne virtus quidem. Fieri enim posset, ut exquisitissima voluntate fruaris, ut lautissime vivas, ut perfectissimo perfectae virtutis fungaris munere, et ut eodem tempore multa desideres, ideoque vera felicitate careas (38).

Hinc

(34) Nicom. V. T. II. p. 50. G.

(35) Magn. Mor. I. 1. T. II. p. 108. D. *ὑπὲρ ἀγαθοῦ ἄρα (ὡς ἔοικεν) ἡμῖν λεκτέον, καὶ ὑπὲρ ἀγαθοῦ οὐ τοῦ ἁπλῶς, ἀλλὰ τοῦ ἡμῖν· οὐ γὰρ τοῦ θεῶν ἀγαθοῦ, ἀλλ' ὑπὲρ μὲν τούτου καὶ ἄλλος λόγος καὶ ἀλλότρια ἡ σκέψις.*

(36) Magn. Mor. I. 1. cf. Nicom. I. 4.

(37) Nicom VII. 14. T. II. p. 73. D. E.

(38) Nicom. I. 1—5. Magn. Mor. I. 1. praesertim p. 110. C. D. cf. Nicom. VII.

Hinc altera oritur quaestio, quid sit felicitas: et quidnam hujus felicitatis causa sit. Sicuti tibicini felicitas est rite tibia canere, ita etiam homini probe suo munere fungi summa est felicitas; quanam vero re hoc munus continetur? Vitane? at sic plantae etiam essent felices. An sensatione? at sensatio omnibus animalibus communis. Igitur actione mentis rationi consentanea. Boni vero viri bona haec actio erit. At quodque perficitur propria virtute. Itaque *animi functio secundum virtutem* (ψυχῆς ἐνέργεια κατ' ἀρετήν) summa erit felicitas (39).

Ita etiam in altero de morali disciplina opere: virtus id in quaque re efficit, cujus rei virtus est. Animi vero munus est vivere. Itaque hujus muneris virtus est, bene vivere. Caeterum bene vivere et bene agere nihil aliud dicimus nisi felicem esse: ergo felicitas in bene beateque vivendo est posita: bene autem beateque vivitur secundum virtutem: hoc igitur et finis, et felicitas est, et optimum. Animi vero virtus quum habitus sit et actio, et quum in actione sit finis, finis erit actio secundum virtutem (40). Aristoteles praeterea virtutem externa desiderare statuit, sine quibus perfecta frui felicitate nemo possit: et ita dici posset, apud eum principium morale in eo esse positum, quod honestas efficiens sit felicitatis, etsi virtutis tamen essentiam a natura repetat, disertis verbis dicens natura esse communem justitiae legem eamdemque sempiternam, (41) et justitiam, temperantiam, caeterasque virtutes semper et ubique expetendas esse dicit, divitias vero, opes, honores non semper nec ubique (42). Ita etiam mendacium per se malum esse dicit, veritatem per se bonam et laudabilem (43). Virtutes etiam amare-

(39) Nicom. I. 6.

(40) Magn. Mor. I. 4. init. Nicom X. 6. p. 101. D et G. δοκεῖ δ' ὁ εὐδαίμων βίος κατ' ἀρετὴν εἶναι. Cf. etiam c. 9.

(41) Rhetor. I. 13. ὥρισται δὴ τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα πρός τε νόμους δύο, καὶ πρὸς οὓς ἐστι διχῶς· λέγω δὲ νόμον, τὸν μὲν ἴδιον, τὸν δὲ κοινόν· ἴδιον μὲν τὸν ἑκάστοις ὡρισμένον πρὸς αὐτούς, κοινὸν δὲ τὸν κατὰ φύσιν· ἔστι γάρ, ὃ μαντεύονται πάντες, φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ μηδὲ συνθήκη· οἷον καὶ ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη φαίνεται λέγουσα, ὅτι δίκαιον ἀπειρημένον θάψαι τὸν Πολυνείκη, ὡς φύσει ὂν τοῦτο δίκαιον. Οὐ γάρ τι νῦντε κἀχθές, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ τοῦτο, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.

(42) Magn. Mor. I. 2.

(43) Nicom. IV. 13. T. II. p. 41. F. καθ' αὑτὸ δὲ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν· τὸ δὲ ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν. Cf. Eudem. VII. 15.

remus, etiamsi nulla eas voluptas sequeretur (44); et virtutis finis est *τὸ καλὸν*, *honestum*, quod aliquid esse videtur per se existens (45); etsi, ut probe animadvertit Stobaeus, magis ipsa virtutis actio, quam habitus, per se expetenda videtur Aristoteli (46).

De Deo vel divina virtutis origine nihil adhucdum audivimus. Dixerat quidem, apud Deos bonum et rectum simplex esse et immutabile natura (47). Sed eodem loco dicit hoc apud Deos esse immutabile, apud nos mutari posse (48); et diserte divinum illud bonum ab eo, quod nobis bonum sit, distinguit, uti jam supra vidimus; et Platoni objicit, quod virtutem cum eo, quod per se bonum sit, confunderit. *Etenim ubi de veritate loquimur*, inquit, *et de rerum essentia, de honestate non agere debemus: nihil enim quidquam habent inter se communitatis* (49).

Non de eo, inquit, nobis agendum est, quod Diis, sed quod nobis bonum sit (50). Attamen id quod nobis bonum est, felicitatem, divino quodam munere nobis concedi censet, et vel eo ipso, quod virtutis praemium, et finis optima quaedam res et divina et beata videtur (51): vita revera felix est divina: nam cum mens divina sit, vita menti consentanea divina sit, necesse est.

Imo vero ipse felicitatis appetitus divinitus ad eumdem finem in omnibus dirigi existimat.

Omnes, inquit, *voluptatem expetunt, non vero omnes eamdem: sed fortasse non eam, quam putent, sequuntur: sed revera eamdem. In omnibus*

(44) Nicom. X. 2. T. II. p. 98. C.

(45) Magn. Mor. I. 21. cf. ib. 35. p. 127. A. et Stob. Eclog. Mor. II. 7. p. 72.

(46) Stob. Eclog. II. 7. p. 88.

(47) Nicom. V. 10. T. II. p. 50. G.

(48) Καίτοι παρά γε τοῖς θεοῖς ἴσως οὐδαμῶς ἄλλως ἔχον· παρ' ἡμῖν δ' ἐστὶ μέν τι καὶ φυσικὸν κινητόν.

(49) Magn. Mor. I. 1. T. II. p. 108. C. ὑπὲρ γὰρ τῶν ὄντων καὶ ἀληθείας λέγοντα, οὐκ ἔδει ὑπὲρ ἀρετῆς φράζειν· οὐδὲν γὰρ τούτῳ κἀκείνῳ κοινόν.

(50) Ibid. D.

(51) Nicom. I. 10. Εἰ μὲν οὖν καὶ ἄλλο τι θεῶν ἐστὶ δώρημα ἀνθρώποις, εὔλογον καὶ τὴν εὐδαιμονίαν θεόσδοτον εἶναι, καὶ μάλιστα τῶν ἀνθρωπίνων ὅσῳ βέλτιστον. — Φαίνεται δὲ κἂν εἰ μὴ θεόπεμπτός ἐστιν, ἀλλὰ δι' ἀρετὴν, καί τινα μάθησιν ἢ ἄσκησιν παραγίνεται, τῶν θειοτάτων εἶναι: τὸ γὰρ τῆς ἀρετῆς ἆθλον καὶ τέλος ἄριστον φαίνεται, καὶ θεῖόν τε καὶ μακάριον.

bus enim divinum quiddam inest naturâ (52). Itaque, licet virtus ipsa homini non innata sit (53), tamen divinum quiddam virtuti inesse statuit.

Cum vero proprium sit virtuti, ut medium sit inter duo vitia (54), hanc amare optimum et sapientiae consentaneum. *Virtus est talis habitus*, inquit, *quo id, quod optimum sit, perficere possimus, et optime erga illud affecti simus. Optimum vero id, quod secundum sanam perficitur rationem: hoc autem est medium inter nimium et parum, quod ad nos pertinet.* (55).

Supra quidem felicitatem summum bonum appellaverat, sed hanc tamen felicitatem sine virtute assequi non possumus: et idcirco virtutem hoc loco optimum appellat.

Et ab hac parte rursus quamdam inter divinam naturam et virtutem rationem offendimus: nam hanc praesertim in proba atque sana mentis actione positam esse statuit, quam eandem in Deo optimam ac sapientissimam esse censebat, ita ut inde efficiendum esse videatur, ita Aristotelem statuisse in eo esse virtutis cum Deo veluti societatis indolem positam, et idcirco ipsam esse divinam (uti supra ab Aristotele dictum esse demonstravimus) et tali tantaque excellentia ornatam, quod sapientia nitatur, quae omnium rerum extrema fugiat, medium teneat, et semper et ubique eo quo tendat, optime, facillime celerrimeque perveniat.

Quod si haec conjectura non omnino aliena videatur, quodammodo etiam confirmari ex iis videtur, quae ultimo capite operis ad Eudemum scripsit Aristoteles. Deum sequi oportere ostendit. *Neque tamen Deum tamquam dominum imperare, sed propter id, cujus gratia prudentia est.* Et paulo post eam electionem bonorum, quae natura bona sint vel corporis amicorum caeterorumve, quae maxime faciat, ut ad Deum animum advertamus, optimam

mam

(52) Nicom. VII. 14. T. II. p. 73. F. G. — Ἴσως δὲ καὶ διώκουσιν, οὐχ ἣν οἴονται, οὐδ᾽ ἣν ἂν φαῖεν, ἀλλὰ τὴν αὐτήν· πάντα γὰρ φύσει ἔχει τι θεῖον.

(53) Nicom. II. 1.

(54) Vid. prae caeteris Nicom. V. 6. p. 46. et Nicom. II. 6. Virtutis definitio: ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένη — λόγῳ.

(55) Eudem. II. 5. T. II. p. 154. F. ἀρετή ἐστι τοιαύτη ἕξις, ἀφ᾽ ἧς πρακτικοὶ τῶν βελτίστων καὶ καθ᾽ ἣν ἄριστα διάκεινται περὶ τὸ βέλτιστον· βέλτιστον δὲ καὶ ἄριστον τὸ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον· τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τὸ μέσον ὑπερβολῆς καὶ ἐλλείψεως τῆς πρὸς ἡμᾶς.

mam esse declarat, pulcerrimumque hoc esse mortalibus propositum; eam vero, quae, vel quia desint necessaria, vel quia supervacanea adsint, Deum colere non sinat, malam illam existimandam esse arbitratur (56).

Igitur summa sententiae Aristotelicae haec erit: *Aristoteles in exponendis vel et commemorandis principiis moralibus divinae existentiae vel providentiae notionem non adhibuit, nisi quatenus statueret propriam virtutis in eo esse praestantiam positam, ut, quum mente ac ratione officiorum fines describeret, iisque sese contineret, ita divino fungeretur munere et divinae voci obediret: ita ut, quamvis diserte illam non indicarit, assumeret tamen cognitionem quamdam ac veluti societatis communitatem inter divinam naturam atque honestatem: et hanc quidem praecipue in mentis actione et sapientia positam. Nec multa ex iisdem notionibus virtutis pie sancteque colendae incitamenta praesidiaque derivavit: nam etsi Deum humanarum rerum curam gerere non negabat, eum tam longe tamen a nobis removit, ut nec nostra ad illum virtus pertineret, nec quisquam bono, quo ipse fruatur, nostram felicitatem metiri possit. Deum tamen et justum esse et mortalium virtute sapientiaque gaudere, etsi raro, quibusdam tamen locis affirmavit. De praemiis vero poenisve, quibus bonos ornari, improbos coërceri alii philosophi statuerunt, et praesertim de iis, quae post hanc vitam futura sint, in iis, qui ad nostram pervenerunt aetatem, libris, quid sentiret, non pronuntiavit.*

In Aristotelicae scholae placitis explicandis in eamdem delabimur scriptorum inopiam, quae jam antea nos presserat, cum de Academicis loqueremur. Hinc fit, ut difficillime de Peripateticorum et aliorum extra Lyceum Aristotelicorum sententia pronunciare possimus: praesertim cum veteres scriptores, a quibus eorum est mentio facta, ad illam certe quaestionem, de qua hoc loco agimus, fere non attenderint.

Ha-

(56) Eudem. VII. 15. T. II. p. 218. B. οὐ γὰρ ἐπιτακτικῶς ἄρχων ὁ θεὸς, ἀλλ' οὗ ἕνεκα ἡ φρόνησις· ἐπιτάττον δὲ τὸ οὗ ἕνεκα, διώρισται δ' ἐν ἄλλοις, ἐπεὶ κεῖνός γε οὐθενὸς δεῖται, ἥτις οὖν αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν ποιήσει τὴν τοῦ θεοῦ μάλιστα θεωρίαν, ἢ σώματος, ἢ χρημάτων, ἢ φίλων, ἢ τῶν ἄλλων, αὕτη ἀρίστη, καὶ οὗτος ὁ ὅρος κάλλιστος· εἴ τις δ' ἢ δι' ἔνδειαν, ἢ δι' ὑπερβολὴν κωλύει τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν, αὕτη δὲ φαύλη.

Habemus quidem moralis disciplinae ab iisdem receptae explicationem a Joanne Stobaeo concinnatam, eamque satis copiosam (57): at ea maximam quidem partem cum iis, quae apud Aristotelem legimus, ita conveniunt, ut fere ex ejusdem scriptis videantur derivata. Ex iis vero, quae vel ex Theophrasti vel ex aliorum Peripateticorum libris hausta videntur, quamvis praeclaras saepe sententias de honestate ac pulcritudine per se expetendis, et de virtute ex communi humani generis amore deducta inveniamus (58); de communi denique societatis vinculo, quod Deorum hominumque genus conjungat (59): de principiis tamen moralibus divinae existentiae providentiaeque notionibus vel nixis vel confirmatis, aut de praeceptis ad honestatem pertinentibus, ex iisdem notionibus petitis, nihil potuimus reperire. Quomodocunque sit, id satis videtur probabile, non multum Aristotelis discipulos a magistro in sententiis, ad nostram quaestionem pertinentibus, discrepasse, vel minus etiam divinae existentiae notionem in moralem disciplinam introduxisse.

De primo quidem Aristotelis in Lyceo successore Theophrasto, non magnifice loquitur Cicero in Tusculanarum Quaestionum libro quinto, ubi illud ei dictum objicitur: *Vitam regit fortuna, non sapientia* (60); de quo tamen judicare non possumus, cum Callisthenes, in quo occurrat, cum aliis hujus philosophi scriptis perierit. Alium locum ex Theophrasti scriptis in Ciceronis Consolatione servatum reperimus, qui magis huc referri possit. Cicero perhibet a Theophrasto memoriae proditum esse, orbem terrarum theatrum quoddam esse magnum, divina mente repletum: et coelestis indicandae gratia tam multis undique collucentibus ornamentis illustratum ac depictum: in eo autem medio collocatos esse homines a Deo, ut cum fortuna, dolore, morbis, egestate, casibusque permultis assidue luctentur. Deum vero ipsum, quantum quisque pugnando valeat, quamque viriliter fortitudine divinitus accepta utatur, desuper aspectare (61).

De Stratone physico non est quod dicamus, quippe quem moralem disci-

(57) Eclog. Mor. c. VII. p. 242. sq.
(58) Ibid. p. 250 et 252.
(59) Ibid. p. 254.
(60) Tusc. V. 9 cf. Fin. V. 5.
(61) Consol. in fragmm. p. 140.

plinam reliquisse et praeterea nullam Diis in mundo fabricando vel conservando operam tribuisse constet (62); quocirca recte etiam ibidem haec de eo effertur sententia: *Sic ille et Deum opere magno liberat et me timore. Quis enim potest, (cum existimet a Deo se curari,) non et dies et noctes divinum numen horrere? et, si quid adversi acciderit, (quod cui non accidit?) extimescere, ne id jure evenerit.*

Aristoxenus et Dicaearchus, doctissimi viri, et hic inprimis Ciceronis deliciae, non multum videntur ad illam, de qua quaerimus, doctrinam, attulisse emolumenti, si quidem ipsam adeo animorum immortalitatem negarent (63).

Heraclides Ponticus, Platonis auditor, (64) hunc fortasse magis secutus est. Sed de eo quoque certi nihil affirmare possumus. Apud Athenaeum vero et hujus auctoris et Clearchi Peripatetici fabulae quaedam de ira divina reperiuntur, quas tamen in disputatione philosophica afferre non attinet.

SECTIO VIII.

De Cynicis et Stoicis.

A Platonis elegantia et ab Aristotelis moderatione ad Stoicorum severitatem atque arrogantiam nos instituti nostri ratio detulit.

Sed antequam ad hanc sectam veniamus, non minus quam Academica ac Peripatetica ratio, in veterum scriptorum libris celebratam, brevi dicendum est de Cynicis, quorum fastidium, ac paene dicam, ferocitatem mitigavit quodammodo et lenivit Zeno. Quum vero Cynicorum ratio vitae institutum potius, quam secta, appellanda videatur, et dicteria magis ac facetias, quam placita philosophorum, nobis vetustas servaverit, non est quod diu nos detineant vel Antisthenes, vel Diogenes, vel caeteri hujus scholae sectatores.

Mo-

(62) Acad. I. 9. IV. 38. cf. Fin. V. 5.
(63) Cic. Tuscul. I. 11 et 31. cf. 18.
(64) Athenaeus Deipnos. XII. 21. 23.

Moralem doctrinam prae caeteris excoluerunt Cynici (1), et divinam rationem ab ea non modo non seclusisse videntur, sed omnem etiam philosophiae dignitatem vel omnino vel magna ex parte inde derivasse; quod quidem utrum magis ad arrogantiam augendam, quam ad virtutem colendam atque commendandam pertinuerit, judicatu non videtur difficile. Etenim ita Diogenes concludebat: *Deorum sunt omnia: sapientes vero Diis amici: amicorum autem omnia communia, omnia igitur sapientum* (2).

De Deo praeterea non semper prudentissime videtur judicasse, cum diceret, Harpalum, qui praedo felix esset, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret, licet habere possit, quo hanc sententiam defendat (3).

Porro quum id, quod jam a Socrate animadversum erat, Deos paucissimis egere, ad quotidianam vitam referrent Cynici et vitae genere imitari studerent (4), palliis utebantur attritis pro veste, lupinis et animalium adeo visceribus vescebantur, totiusque mundi cives in doliis vel sub divo decumbebant. Quod si in hunc sensum accipi debet id, quod ab eodem Diogene dictum accepimus, viros bonos Deorum esse imagines (5), (nec quare in hunc sensum illud accipiam, nescio, cum se ipsos certe pro optimis viris habuisse perquam sit probabile); quum tales igitur viri boni, Cynici scilicet, Deorum sint imagines habendi, vereor, ne alios, non satis in honestatis studio provectos, hac divina inopia et squalore a divina similitudine deterreant.

Sed etiamsi ejus vitae genus minus nobis placeat, confitendum tamen, Diogenem religiosissimum fuisse (6); et Julianus Imperator eum initiationes idcirco sprevisse perhibet, quod putaret, iis, qui vitam bene instituerint, etiamsi nondum initiati essent, integra apud Deos manere praemia re-

ser-

(1) Diog. Laërt. VI. p. 163. A.

(2) Ibid. p. 146. E.

(3) Cic. N. D. III. 34. Vid. hoc crimen dilutum a Baylio, Dict. Hist. et Crit. T. II. p. 637. not. N.

(4) Diog. Laërt. VI. p. 163. C.

(5) Ibid. p. 150. A. τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας θεῶν εἰκόνας εἶναι.

(6) Julian. Or. VII. p. 212.

servata, improbos vero nihil inde amplius consequi, quod in interiora sacrorum adyta penetrarint (7).

Nonnulli certe Jovis sese legatos esse existimabant, qui hominibus quae bona essent malave nunciarent (8), cui divino mandato Menedemus ornatu tragico et barba promissa majorem auctoritatem addi sperabat, quum sese ex inferis peccatorum spectatorem rediisse fingeret, ut hinc iterum ad Deos abiens, quae vidisset, renunciaret (9).

Sed paucorum profecto virorum est ad tantum philosophiae gradum escendere, neque omnes Deorum nuntii ac peccatorum speculatores evadere possumus, et philosophorum inertiae immersi, paucis fabis lupinisve contenti, palliis contecti apricari; quocirca ita de hac secta statuere non dubito, quoad nobis quidem ejus ratio institutaque innotuerint, non apprime videri accommodatam fuisse, ut iis, quae de Deo traderet, placitis, virtutis studium promoveret, siquidem celebrata illa cum Diis cognatione ac familiaritate supra alios sese extolleret eosque a virtutis amore abalienaret, quam non nisi paupertie et egestate coli posse statueret. — Sed tam pauca nobis de his philosophis testimonia servavit vetustas, ut fortasse praestet, non temere de re non satis explorata pronunciare, et in eo subsistere, ut fateamur nobis, de iis certe, quae ad nostram quaestionem pertineant, nihil occurrisse, quod aliquam hac de re opinionem huic scholae propriam proderet.

De Stoïcis dicturo optime mihi ad vestram quaestionem, Viri Eruditissimi, responderi posse visum est, quum non singulos enumerarem hujus sectae philosophos, sed in universam horum doctrinam inquirerem, quoniam quod ad nostram certe quaestionem a se invicem non magnopere dissideant: et praeterea etiam, quoniam scriptores ii, quibus hujus philosophiae notitiam debemus, eandem fere in hac re rationem secuti sint, nec nisi, ubi majorem quam-

(7) Ibid. p. 239.

(8) Arrian. Diss. Epict. III. c. 22. p. 448. ed. Upton. cf. p. 457. IV. c. 8. p. 640. τοιοῦτος γὰρ ἔστιν ὁ Κυνικὸς τοῦ σκήπτρου καὶ διαδήματος ἠξιωμένος παρὰ τοῦ Διὸς, καὶ λέγων· Ἵν' ἴδητε, ὦ ἄνθρωποι, ὅτι τὴν εὐδαιμονίαν καὶ ἀταραξίαν οὐχ ὅπου ἐστὶ ζητεῖτε, ἀλλ' ὅπου μὴ ἔστιν· ἰδοὺ ἐγὼ ὑμῖν παράδειγμα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἀπέσταλμαι μήτε κτῆσιν ἔχων, μήτε οἶκον, μήτε γυναῖκα μήτε τέκνα· ἀλλὰ μηδ' ὑπόστρωμα, μηδὲ χιτῶνα, μηδὲ σκεῦος· καὶ ἴδετε πῶς ὑγιαίνω· πειράθητέ μου. cf. Julian. Or. VI. p. 191.

(9) Diog. Laërt. VI. p. 162. E.

quamdam discrepantiam invenirent, illam, ipsorum philosophorum nominibus interpositis, notandam existimarint. Nec opus erit separatim v. c. de Panaetio et Posidonio agere, etiamsi multis locis a Stoïca doctrina discesserint, quoniam, quod ad nostram quaestionem pertineat, eorum placita a caeterorum fere non differant.

Sed quum ipsa horum virorum scripta, paucissimis quibusdam fragmentis exceptis, aboleverit vetustas, quos in hac veterum monumentorum clade sequamur duces, Diogenem habemus Laërtium in vita Zenonis, Stobaeum in Eclogis Moralibus, Ciceronem et Sextum Empiricum, quibus ad interiorem disciplinae Stoïcae cognitionem in praeceptis, ad vitae usum hominumque societatem pertinentibus, adjungendi sunt Seneca, Epictetus, vel potius Arrianus, et aurei Marci Antonini commentarii. In hisce tamen scriptoribus citandis cum summa esse diligentia agendum, ne, quod ad singulos pertineat, universae scholae tribuatur, non opus est, ut a me moneatur.

A Cicerone, viro Graecae philosophiae peritissimo, accepimus Academicos et Peripateticos, itemque Stoïcos, initio nominibus tantum differentes, re congruentes et pene eosdem fuisse (10); et quamvis huic sententiae in eo loco, de quo praesertim in praestantissimis illis de Graeca philosophia libris agit Cicero, in quaestione, inquam, de finibus bonorum et malorum, non accedere fere nequeam, in iis tamen locis, quae ad nostrum argumentum pertinent, magnam, sicuti jam antea inter Platonem et Aristotelem, ita nunc etiam inter utrosque et Stoïcos differentiam inveni; et quemadmodum nulla fere veterum philosophorum schola exstitit, quae a communi illo fonte ac capite, Socrate, manavit, quin ipsa sibi prae caeteris proxime ad hujus magistri exemplum accessisse visa sit, et revera etiam nulla inveniri potest, quin aliquam cum summo viro similitudinem habeat: ita Stoïci praesertim in Deorum religione ac sanctitate tuenda prae caeteris maxime Socratem secuti sunt, et multum auguriis atque auspiciis et omni omninò divinationi tribuerunt. Honestatis autèm principiâ ab ipsa natura humana, arctissime cum communi hujus universi naturâ, id est, cum ipsa divinitate conjuncta, derivarunt, et propter se ipsam expetendam docuerunt; sed, cum summum hujus virtutis ac sapientiae splendorem admirarentur, et disertius, quam caeteri fe-

(10) Acad. I. 4. IV. 5. de Fin. IV.

fecissent, se ipsa ad bene beateque vivendum contentam esse statuerent, factum est, ut sapientem suum virtutis gloria ornatum non modo longe supra omnes alios extollerent, sed illum etiam ipsi Deo adaequarent, imo vero interdum supra illum eminere existimarent. Hinc illud fastidium atque arrogantia, quae eo minus ferenda est, quo magis elucet, nusquam talem sapientem, quem sibi vanitatis quodam errore fingerent, in hisce vitae humanae spatils et in hoc aerumnarum curriculo inveniri.

Sed ad quaestionem ipsam accedamus, ne judicium nostrum vobis, Viri Eruditissimi, obtrudamus, antequam ipsa, quibus nitatur, argumenta explicuerimus.

Uti saepius jam fecimus, primum de moralis doctrinae initiis principiisque videbimus, deinde ad praecepta transibimus.

Stoici Deum causam efficientem hujus universi esse statuebant, igneae naturae, immortalem, aeternum, rationis participem, perfectum, beatum, omnis expertem mali (11); et mundum, quem creaverat, ita gubernantem atque administrantem, ut eum sibi tamquam mentem per omnem rerum naturam commeantem atque diffusam effingerent (12); et cum omnia causarum quadam continuatione, ab ipso Deo ratis ordinibus et immutabili constantia ordinata, regi ac veluti describi statuerent, factum est, ut eumdem et fatum et necessitatem appellarent (13), vel certe haec arctissime cum eo cohaerere et ab eo fluere dicerent (14).

Negari omnino nequit, Stoicorum de his rebus placita non omni confusione vacare, praesertim cum plerique ipsam illam divinam vim atque rationem corpoream esse statuerent, et cum ipso mundo confundere ac commiscere viderentur, quem etiam immortalem et Deum nominabant (15); cum ab al-

te-

(11) Diog. Laërt. VII. p. 199. C. et 196. B. Pseudo - Plut. de placit. philos. I. 6.

(12) Diog. Laërt. p. 197. C. cf. Seneca de Benef. IV. 7.

(13) Ibid. p. 200. A. cf. Cic. N. D. I. 15, 16.

(14) Cic. de Div. I. 55.

(15) Cic. N. D. II. 14. Diog. Laërt. p. 198. C. et 199. E. οὐσίαν δὲ θεοῦ Ζήνων φησὶ τὸν ὅλον κόσμον καὶ τὸν οὐρανόν. Cf. Pseudo-Plutarch. de placit. phil. I. 7. Cf. etiam Plutarch. de opinion. vulg. contra Stoic. p. 648. et p. 653. B. καὶ μὴν οὗτοι τὸν θεὸν ἀρχὴν ὄντα σῶμα νοερὸν καὶ νοῦν, ἐν ὕλῃ ποιοῦντες, οὐ καθαρὸν, οὐδὲ ἁπλοῦν, οὐδὲ ἀσύνθετον, ἀλλ' ἐξ ἑτέρου, καὶ δι' ἑτέρου ἀποφαίνουσι.

tèra parte rursus satis diserte a materia Deum distinguere viderentur (16), et cum, etiamsi *omnium rerum*, quae natura administrantur, *seminatorem* et *satorem* et *parentem mundum* appellarent, eundem tamen naturâ gubernari existimabant (17), quam divinam esse vim atque rationem satis ex praemissis totaque argumentatione patet (18).

Varias hujus notionis significationes in hac schola videas apud Senecam: *Quisquis formator universi fuit, sive ille Deus est potens omnium, sive incorporalis ratio ingentium operum artifex, sive divinus spiritus per omnia maxima et minima aequali intentione diffusus, sive fatum et immutabilis causarum inter se cohaerentium series* (19).

Sed his aliisve locis repugnantiae non tolluntur, quibus *Deum* et *naturam* et *mundum* saepissime confunderent Stoïci. Omnino distinguendi videntur Dii quos nominant, ut sol, luna, stellae, caetera, ab ipsa divina vi ac ratione per rerum naturam diffusa, etsi et hic etiam difficultas quaedam remanet, nam haec divina vis etiam per solem et lunam, ipsius mundi partes, diffusa est, et hi tamen ut Dii mundum administrare dicuntur (20).

Ipsi Stoïci non omnes hac in re congruebant, sed diversas sententias hoc loco enumerare non opus est (21). Quod si germanum esset fragmentum Cleanthis a Clemente Alexandrino servatum, ubi boni natura ab illo exponitur, et magis etiam, si vera esset ejusdem Clementis conjectura, hac descriptione Deum a Cleanthe significari, praestantissima profecto haec esset Dei descriptio ex veterum philosophorum scholis profecta (22).

Sed si Plutarchum audiamus, et nonnullis adeo locis apud Ciceronem, Bal-

(16) Cf. Moshemius, Stoicorum Deum contra Cudworthium defendens, ad Syst. Int. C. II. §. 9. not. 2.

(17) Cic. N. D. II. 31. 33. 34. Cf. Sext. Emp. adv. Math. VIII. p. 327 et 328. A.

(18) De hisce Stoicorum in placitis de Deo repugnantiis vid. Tiedemann, Syst. der Stoischen philosophie, T. II. p. 179—190.

(19) Consol. ad Helv. p. 77. B. de Benef. IV. 7. 8. *opus suum implet, nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura: sed idem est utrumque nec distat.* Etiam Nat. Quaest. praef. p. 682. B.

(90) Cic. N. D. II. 31.

(21) Chrysippi de Deo placita vide uberius exposita ap. Plutarchum de vulg. opinion. contra Stoic. p. 649. A.

(22) Steph. Poës. phil. p. 51. apud Clem. Alex. Admon. ad Gent. p. 35.

Balbum, non adeo magnifice de Deo Stoico existimare possumus. Plutarchus (23) inprimis magno acumine, et oratione facetiis perspersa, Stoïcorum placita exagitat, saepissimeque ita veram rerum faciem detegere et ob oculos ponere videtur, ut fere tibi haec legenti temperare non possis, quin ejus dicteriis utaris, ubi de horum sapientum superstitione dicendum sit. Mihi temperavi tamen, nam difficile est, ubi jocaris, non interdum, quod acute conclusum videatur, veritati anteponere: et praeterea jam nimis diu in hisce tergiversationibus detineor. Stoïcorum de Deo repugnantias solvere nec possum, nec opus est hoc loco. At vero eas attingere oportebat in disputatione, quae a Deo incipit et in eumdem semper revertitur.

De accusatione, qua arguitur apud Diogenem Laërtium Chrysippus, ac si multa turpissima ac nefaria de Diis finxisset, quae quatenus vera sint a nobis dijudicari nequeunt, non agimus hoc loco: quamvis dici posset, haec fortasse ad Physicam quamdam allegoriam pertinere (24).

Satis sit nobis hoc loco, Stoïcos sibi Deum informasse tamquam vim quamdam atque rationem, omnem hanc rerum universitatem continentem atque gubernantem, non secus ac corpus nostrum ab animi vi ac divinitate impellitur (25).

Porro Deus vel anima mundi praestantissimae erat virtutis particeps. *Nihil mundo* (quem a Natura gubernari jam supra demonstravimus) *perfectius. Nihil vero virtute et sapientia melius. Ergo mundi est propria virtus* (26). Haec Chrysippus, qui etiam alio loco Jovem esse dicit legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit (27). *Dii* porro *inter sese quasi civili conciliatione et societate conjuncti sunt, unum mundum, ut communem rempublicam atque urbem aliquam regentes: sequitur ut eadem sit in his, quae in genere humano ratio, ea-*

(23) De commun. notit. contra Stoïc. p. 647. et 648. Cf. Stoic. repugn. p. 468. A.
(24) Diog. Laërt. VII. p. 209. E. F.
(25) N. D. II. 22. Cf. Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. III. 24. etsi eo loco Deum Stoicorum ludibrio habet. Cf. adv. Mathem. VIII. p. 328. D. — 330. Stob. Eclog. Phys. III. 28. p. 66. Fragm. Cic. p. 47. fin. et Seneca Epist. 65. p. 495.
(26) Cic. N. D. II. 14.
(27) Ibid. I. 15.

eadem veritas utrobique sit, eademque lex: quae est recti praeceptio pravique depulsio (28).

Rebus humanis consulebat Deus secundum Stoïcos (29): sed in hoc loco, de providentia et fato, non minores ab illis repugnantiae admissae sunt quam in loco de Divina Natura. De Chrysippo quidem testatur Cicero, illum necessitatem effugisse, retinuisse fatum (30); Posidonius fatum tertium facit a Jove; Zeno fatum idem esse contendit ac providentiam vimque divinam (31). Sed et hic tamen adsunt difficultates, quas elevare non est facile, ita ut dicere non audeam, Stoicos non semper hominibus liberam reliquisse voluntatem (32).

Huic Dei imagini, ad Stoicorum placita expressae, humanam conferamus effigiem; nam ita demum de ratione, qua opiniones de divina existentia ac providentia in honestatis usum converterint, judicari a nobis poterit, quum Deum et hominem quales sibi effinxerint, cognoverimus.

Hominem animo esse praeditum existimabant divinae naturae non dissimili, sive eum aëreum, sive igneum, sive ex utraque substantia mixtum esse dicerent; eum intelligentem et calidum (33), certe cum Diis communione quadam ac societatis vinculo, tum ratione (34), tum sensu quodam pulcritudinis atque ordinis conjunctum existimabant (35).

Porro hujus animi, ideoque humanae naturae, proprium esse docebant sui ipsius amorem, amorem ordinis, pulcritudinis, veritatis et honestatis, socie-

ta-

(28) N. D. II. 31. Cf. Seneca fragm. p. 32. XVI. *Ergo Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? Nec enim illam didicit ex ullo. Immo laudabimus, quamvis enim naturalis illi sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipse natura est.*

(29) Cic. N. D. II.

(30) Cic. de Fato, 17. 18.

(31) Stob. Eclog. phys. VI. 15. Cf. Heeren. ad h. l. Pseudo-Plutarch. de plac. philos. I. 27. 28. Seneca de provid. p. 141. B. Cf. de Benef. VI. 23. Nat. Quaest. praef. p. 680. A.

(32) Cf. Tiedemann, Syst. der Stoischen philosophie T. II. p. 135—142 et 196—200.

(33) Stob. Eclog. Phys. LII. p. 796. Cf. Seneca de Otio Sap. c. 32. p. 256. C. et Lips. ad h. l. et Epist. 120. p. 664. D.

(34) Sext. Empir. adv. Math. VIII. p. 331 et 332.

(35) Stob. Eclog. Phys. LII. p. 918.

tatis denique et principatus appetitum (36). Quaerentibus autem quidnam potissimum tali homini expetendum esset, id est, quinam ei essent fines bonorum propositi, sibi respondebant Stoici: *vivere convenienter naturae*, id est, secundum nonnullos, veluti Chrysippum, non solum illi Naturae, homini propriae, sed etiam universi naturae; secundum alios, ut Cleanthem, tantum secundum hanc solam (37). Ita enim Zenonis sententiam explicuerant, qui dixerat tantummodo finem esse *convenienter vivere* (38). Sed cum, uti supra vidimus, ipsius mundi partes simus (39), optime propria lex atque natura cum communi illa congruit, unde efficitur, qui contra hanc peccet, eundem contra iliam peccare. Quoniam vero universi natura est recta ratio, per omnia pertinens, idemque Jupiter et Deus; hic vero summae sit virtutis particeps, vel ipsa potius virtus: sequitur *secundum naturam communem vivere* esse *vivere cum honestate* (40). Et haec demum est summa felicitas et omnium bonorum finis, si omnia proprio cuidam nobis insito daemoni convenienter agantur, ex ejus qui cuncta gubernat voluntate (41). Et hinc quidem omnis illa celebrata Stoica ratio, honestum solum bonum esse, virtutem ad bene beateque vivendum se ipsa esse contentam, quae ipsa quidem, etsi magnifice sonat, non magnopere tamen a Perepatetica disciplina differt, nisi quod nominibus mutatis virtutem solum bonum dicat, alia vero, quae ab Aristotele in bonorum numerum erant recepta, novo nomine *προηγμένα* sive *praeposita* appellet (42).

Sed in eo tamen Peripateticae disciplinae anteponenda, quod arctissimo vin-

(36) Cic. de Offic. I. 4. de Fin. V. 15. Diog. Laërt. VII. p. 184. D. Cf. Seneca de Benef. IV. 17.

(37) Diog. Laërt. VII. p. 185. D. cf. Stob. Eclog. Mor. VII. p. 108. 114. 134.

(38) Stob. Eclog. Mor. VII. p. 132 et 134.

(39) Seneca Ep. 92. p. 587. C.

(40) Diog. Laërt. VII. p. 185. B. C. *μέρη γάρ εἰσιν αἱ ἡμέτεραι φύσεις τῆς τοῦ ὅλου· διόπερ τέλος γίνεται τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν, ὅπερ ἐστὶ κατά γε τὴν αὑτοῦ καὶ κατὰ τὴν τῶν ὅλων, οὐδὲν ἐνεργοῦντας ὧν ἀπαγορεύειν εἴωθεν ὁ νόμος ὁ κοινός, ὅσπερ ἐστὶν ὁ ὀρθὸς λόγος διὰ πάντων ἐρχόμενος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διῒ καθηγεμόνι τούτῳ τῆς τῶν ὄντων διοικήσεως ὄντι.* Cf. Menag. ad h. l. et Cic. N. D. I. 14. *naturalem legem divinam esse, eamque vim obtinere recta imperantem prohibentemque contraria.*

(41) Ibid. et Menag. ibid.

(42) Vid. praesertim Cic. Fin. IV. 25. 26.

vinculo virtutem cum divina existentia providentiaque conjunctam esse statuat. Etenim Stoici ex ipsa naturâ humanâ, cum universi natura copulatâ atque conjunctâ, virtutis principia atque initia ducebant, et, cum universi natura divina sit, et ipse Jupiter ac Deus, jure dici possit, a nemine ex Graecorum Philosophorum sectis tam egregie haec initia a divina natura esse derivata.

Nullum aliud virtutis initium, nulla alia causa inveniri potest, nisi a Jove et communi hujus universi natura: inde omne illud derivari debet, si de bono et malo loqui velimus. Haec Chrysippus (43). Ex Deorum immortalium societate ac conjunctione humanae societatis jura institutaque derivabant, et prudentiam mentemque a Diis ad homines pervenisse arbitrabantur (44). Imo tam firmiter ipsis hac de re persuasum erat, ut ex eo quod jura essent ac leges apud homines, Deos esse demonstrare conarentur (45). Et Cicero, *Mundum*, inquit, *numine Deorum regi censent, eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et Deorum: et unumquemque nostrûm ejus mundi esse partem, ex quo illud natura consequi, ut communem utilitatem nostrae anteponamus* (46). *Ob eandem quoque rationem minime convenit, cum ipsi inter nos abjecti neglectique simus, postulare, ut Diis immortalibus cari simus et ab iis diligamur* (47).

Ex hac igitur civili communitate, qua homines inter se conjuncti sunt ad exemplum ejus societatis, quae Deos ipsos inter se invicem conjungat, nata est omnis et justitia et liberalitas (48). *Itaque incolumem esse civilem conjunctionem ipsa exegit naturae ratio, quae est lex divina et humana, cui parere qui velit, (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere) numquam committet, ut alienum appetat, et id, quod alteri detraxerit, sibi assumat* (49). *Justitiam vero, beneficientiam, liberalitatem qui tollent, iidem etiam adversus Deos immortales impii judicandi sunt; ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt* (50).

Quod plane ex Stoicorum mente dictum esse locus apud Stobaeum declarat,

(43) Plutarch. Stoicor. repugn. p. 460. A.
(44) Cic. N. D. II. 31.
(45) Sext. Empir. adv. Mathem. VIII. p. 331. fin. et 332.
(46) Fin. III. 19. (47) Ibid. 20. (48) Ibid.
(49) Offic. III. 5. (50) Ibid. 6.

rat, ubi dicitur, Stoicos omne peccatum pro impietate habere, cum facere aliquid praeter Deorum voluntatem impietatis signum sit, et peccatum Diis displiceat, quod virtutem diligant, oderint vitium (51).

Eodem pertinent alia apud Ciceronem loca, quae, etsi non ita diserte ad Stoicam scholam relata, ex eodem tamen fonte fluxisse videntur, et praecipue ea, quae in praestantissimis illis Legum libris de natura hominis et origine justitiae ac legum invenimus. — Homo praeclara quadam conditione generatus est a Deo, cum solus ex tot animantium generibus atque naturis particeps sit rationis et cogitationis, qua cum nihil sit melius, eaque et in homine et in Deo adsit, prima est hominis cum Deo rationis societas. *Quae cum sit lex, lege quoque consociati homines cum Diis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio juris est. Quibus autem haec sunt inter eos communia, et civitatis ejusdem habendi sunt. Si vero iisdem imperiis et potestatibus parent, multo etiam magis parent huic coelesti descriptioni mentique divinae et praepotenti Deo, ut jam universus hic mundus una civitas communis Deorum atque hominum existimanda: et quod in civitatibus ratione quadam agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius tantoque praeclarius, ut homines Deorum agnatione et gente teneantur.* Et paulo post, postquam dixerat animum homini ingeneratum a Deo esse, et nullum praeter hominem animal esse, quod habeat notitiam Dei, ita pergit: *Jam vero virtus eadem in homine ac Deo est, neque ullo alio ingenio praeterea: est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta et ad summum adducta natura* (52).

Ita etiam in libro secundo illam probat sapientissimorum sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regat, imperandi, prohibendique sapientiam, itaque eos principem legem illam et ultimam mentem esse dixisse, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua illam legem, quam Dii humano generi dedissent, recte esse laudatam diceret

(51) Stobaeus Eclog. Mor. VII. p. 216. Ἀρέσκει δὲ καὶ, πᾶν ἁμάρτημα ἀσέβημα εἶναι, τὸ γὰρ παρὰ τὴν βούλησίν τι πράττεσθαι τοῦ θεοῦ, ἀσεβείας εἶναι τεκμήριον caet.

(52) Legg. I. 7. 8. cf. 12.

ret (53). Quod si vero illud probe intelligerent homines, sicut una eademque natura mundum omnibus partibus inter se congruentibus cohaerere, ita se etiam consanguineos esse et subjectos omnes uni eidemque tutelae, Deorum profecto vitam omnes viverent (54).

Nec mihi temperare possum, quin praeclarum locum ex fragmentis adjiciam qui etsi longiusculus, ita egregie ad rem praesentem facit, ut eundem praetermittere nefas esse videatur. *Est quidem*, inquit, *vera lex recta ratio naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quaerendus explanator aut interpres ejus alius: nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia post hac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex, et sempiterna et immortalis, continebit; unusquisque erit communis quasi magister, et imperator omnium Deus ille, legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur, atque hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi caetera supplicia, quae putantur, effugerit* (55).

Haec de principiis doctrinae moralis apud Stoicos. Non egi hoc loco de celebrata illa distinctione inter id, quod καθῆκον sive *officium* nominarent, et id, quod κατόρθωμα dicitur, *recte factum* vel ipsam virtutem. Scio equidem Stoicos, etsi a naturae convenientia sive propriae sive communis initia honestatis ducerent, ipsam tamen honestam actionem non in primis naturae conciliationibus collocare (56). Sed hoc nihil ad praesentem quaestionem, satis, credo, ostendimus, quatenus Stoici cum divinae naturae notione virtutem conjunxerint, ita ut, cum finem esse statuerent *secundum naturam vivere*, naturam vero hominis partem universi, universi vero naturam rationis virtutisque esse participem, inde efficerent in virtute esse finem bonorum po-

(53) De Legg. II. 4. Cf. in fragmm. locus ex Lactantio p. 108. ed. Ern.
(54) Fragm. p. 68. ex Lactant. V. 8.
(55) Fragm. p. 31. ex Lactant. VI. 8.
(56) Cic. Fin. III. 6. Cf. etiam Garve Oordeel. beschouwing van de Stelsels Zedekunde van Aristoteles tot op Kant, p. 72—78.

positum extremum et summum et unum atque solum laudabile atque expetendum.

Vidimus de antiquis Stoicis, et, si quid in recentiorum scriptis, ut in Ciceronis (quatenus Stoicorum doctrinam probet) et Senecae libris, quod ad rem praesentem faceret, invenimus, nec magnopere a vetere doctrina abhorreret, illud subinde adjecimus. Negari tamen nequit, quae a Seneca de Natura Deorum disputata sint, ea saepe multo dilucidiora esse ac magis perspicua iis, quae apud antiquiores de Zenonis caeterorumque Stoicorum placitis invenimus. Sed quoniam in doctrinae initiis germanus fuit Stoicus Seneca, loca ex ejus scriptis, veterum locis non omnino dissimilia, iis adscribere non dubitavi, ubi his interpretationis atque explicationis loco addi posse viderentur.

At vero major est inter veteres et recentiores discrepantia in loco de praeceptis et cohortationibus. Manet omnino semperque manebit obscuritas quaedam, non facile dispellenda, in antiqua Stoica ratione de natura Deorum, et quamvis in principiis atque ipsa disciplinae descriptione notiones illae *Rationis* et *Naturae* et *Mentis* satis determinatae esse viderentur ad ipsa doctrinae fundamenta stabilienda, ubi de adhortationibus ad virtutem, et honestatis praesidiis agemus, quodammodo magis persona agente, id est *Deo*, indigebimus, nec jam *Ratio* nobis vel *Mens* vel *Natura* sufficiet. Recentiores mihi hisce difficultatibus minus premi videntur, et hoc loco praesertim diligenter a veteribus distinguendi sunt. Primum igitur videamus, quidnam veteri doctrinae insit, quod aptum esset ad virtutem commendandam, quatenus eo consilio notionibus divinae existentiae providentiaeque usa est.

Stoici quum virtutem per se esse amabilem atque expetendam dicerent, (quod quantopere laudandum sit, non opus est, ut multis verbis declarem) factum est ut, quum istum caeterorum philosophorum errorem, qui non satis honestatem amare viderentur, effugerent, in aliud vitium non minus reprehendendum inciderent, ut scilicet virtutis studium non satis ab iis segregarent, in quibus illud invenirent; et quum perfecti illi philosophi, virtutem possidentes, iidem illi essent Stoici, se ipsos paene magis, quam virtutem, amare coeperunt. Hinc Stoicus ille sapiens omnibus laudibus, omni dignitate, omnibus et regiis adeo titulis ornatus, sola virtute beatus, casus contemnens humanos, nec quidquam ad se ducens pertinere, nisi quod honestum sit et laudabile et per se expetendum. Intuenti vero mihi magnificam illam Stoici sa-

sapientis imaginem saepius occurrit Horatianum illud *Risum teneatis amici* (57).

Etenim non virtute modo praeclarus est, sed etiam omnibus ingenio dotibus instructus, et corporis adeo sensibus integer et prae caeteris excellens. Sapiens omnia recte facit, perfectus est, felix, validus, invictus, nulli parens, numquam deceptus (58), regius atque ipse rex (59). Imo vero sapiens injuria caret (60), numquam opinatur nec fallitur, sed certam habet scientiam (61); ne male quidem umquam videt vel audit (62); stultorum vero omnia contraria, in hos enim haec omnia cadunt. Haec aut imaginem efficiunt perfecti cujusdam hominis, qualem numquam in his terris adspeximus, aut ludicra sunt hominum verbis ludentium et insolenti quadam temeritate veram verborum significationem captiosis ratiunculis mutantium (63). Sed quod majus est, exspectari nequit sapientem, qui se ipse tantopere commendet, vel Deo vel alio quoquam egere ad felicitatem et perfectionem, quam ipse sibi praebuit, et quae augeri nequit, splendidiorem faciendam. Plutarchus, *alii homines*, inquit, *nulla re magis Deos hominibus antecellere existimant, quam felicitate et virtute, sed secundum Chrysippum ne hoc quidem illis relinquitur: Jovem enim non antecellere Dioni virtute existimant, sed sibi invicem aeque esse auxilio, Jovem Dioni et Dionem Jovi utrumque sapientem* (64).

Utuntur sane interdum Dei nomine in hisce laudibus sapientis, illum cum Deorum numine conjunctum esse dicunt, solum esse sacerdotem sapientem (65), solum vatem et divinorum signorum interpretem (66), divinum esse et in se ipso habere Deum (67), imo vero ejus felicitatem non

a

(57) Videas hunc sapientem Stoicum acute perstrictum in Plutarchi parvo libello, ubi ostendit *Stoicos absurdiora dicere quam poëtas.*

(58) Stob. Ecl. Mor. VII. p. 200. (59) Ibid. p. 222.

(60) Ibid. p. 226. (61) Ibid. p. 230 et 232.

(62) Ibid. p. 234. ad hunc imaginem vide etiam Diog. Laërt. VII. p. 192 et 193.

(63) Tales ratiunculas jure videas irrisas a Sexto Empirico adv. Mathem. X. p. 466. cf. Cic. Fin. IV. 27.

(64) De Commun. notitiis contra Stoicos p. 648. A.

(65) Stob. Eclog. Mor. VII. p. 122.

(66) Ibid. p. 238.

(67) Diog. Laërt. VII. p. 192. C.

a divina differre, nec ejus securitatem Jovis securitate minorem esse (68), ita ut sapientem suum Deo paene aequare videantur, quod quam audacter Stoicus fecerit Seneca, statim videbimus. Haec omnia vero magis valere ad arrogantiam augendam, quam ad virtutem commendandam satis per se patet.

Praeceptum tamen erat quoddam apud Stoicos pervulgatissimum *sequere Deum*, quo, ut patet ex iis, quae de hac admonitione recentior scripsit Seneca, plerumque ita utebantur ut ad Dei voluntatem, vel potius ad hujus universi ordinem naturalem, voluntatem nostram accommodaremus, omnesque, quos nobis hujus ordinis utilitas casus inferret, fortiter perferremus (69).

Sed an etiam remunerationum spe vel poenarum metu ad virtutem et sapientiam homines adhortati sunt Stoici?

Stoicus sapiens ipse sibi maximam remunerationem praestat, nec quidquam virtute melius; adeo ut nulla virtutis remuneratio ipsa virtute major sit; et jure quidem: at vero non omnes hac propria ac naturali dulcedine capiuntur, et saepe metu coacti magis virtutem amplectuntur, quam propter propriam ei insitam pulcritudinem. Attamen a Stoicis praemia et poenae vel in hac vel in alia vita fere non memorantur, nisi a Chrysippo in primo libro de justitia, ubi hosce Hesiodi (70) versus afferens:

> *Τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων*
> *Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμὸν, ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί.*

Haec Deos ita facere affirmat, quo facilius alii homines, cum illos poenas dare videant, a talibus facinoribus deterreantur. Qui tamen locus a Plutarcho affertur tanquam Stoicae absurditatis documentum, cum paulo ante attulisset locum ex eodem Chrysippo, ubi hanc opinionem, Deos homines punire multis rationibus evertere conaretur (71).

Porro Stoici animos post mortem aliquantum quidem, alios diutius, alios brevius, non semper remanere dicebant, imo Panaetius aperte animorum immortalitatem negabat (72). Deinde de poenis in hoc statu post mortem corporis non multum cogitabant; fuisse tamen secundum Stoicos antiquos quamdam,

(68) Stob. Eclog. Mor. VII. p. 198.
(69) Arrian. Diss. Epict. I. 20. p. 112. Ed. Upton. et multis aliis et auctoribus et locis.
(70) Op. et Dier. 242.
(71) Plutarch. Stoic. repugn. p. 463. A.
(72) Cic. Tusc. Quaest. I. 32. Diog. Laërt. VII. p. 201. E.

dam inter bonos et malos differentiam exinde patet, quod Chrysippus dixerit solos sapientum animos remanere post mortem usque ad mundi exustionem (73), et ex eo, quod legimus apud Diogenem Laërtium: *Genios esse societatis quadam communione cum hominibus conjunctos, humanarum rerum spectatores, animos scilicet bonorum, post mortem permanentes* (74).

Lactantii vero et Tertulliani auctoritatem in testimoniis de Zenone, ac si poenas et remunerationes post mortem corporis memorasset, merito a viro Clarissimo Wyttenbachio addubitatam esse opinor: planeque eidem assentior, dicenti, Stoicos, quamvis felicitatem sapientum post hanc vitam statuerent, hanc tamen non praemii, sed naturalis consectarii loco posuisse (75). Sed praeterea etiam cum Deum, ad exemplum sapientis Stoici, omni affectione liberum praedicarent, ab ira illum alienum esse dicebant: et ita alte animo habebant persuasionem illam infixam, virtutem solum bonum esse, vitium solum malum, et omnia per se valere sapientem, ut Jovem improbo non magis nocere posse dicerent, quam ipsum sibi (76).

Verum quidem illud per se spectatum, Deum numquam nec irasci, nec nocere, id est, eum non ob injuriam sibi illatam ultionis cupidum in homines invehi, nec inconsiderato ac temerario animi motu, tamquam ludimagistrum iracundum, illos detrimento afficere; quod si ita haec accipias, utique commune est hoc effatum omnium philosophorum, quemadmodum apud Ciceronem legimus (77); verum quoque illud, quod dicitur a Seneca, neminem sanum timere Deos, furorem esse metuere salutaria (78): sed si ita haec accipienda, ut Deum numquam ne punire quidem malos statuerint, vereor ne ipsum sapientem aliquando, non satis contra voluptatis illecebras armatum, peccati suavitas capiat, et ne, si hanc Deorum ἀπάθειαν sibi in mentem revocarit, hac securitate confisus, praesentem voluptatem cum

(73) Diog. Laërt. VII. p. 202. A. Cf. Seneca Consol. ad Marciam, c. 25.

(74) Ibid. p. 200. D. Cf. Wyttenb. Verhand. van Teyl. Godgel. Genootschap. T. IV. p. 72—75. et ibi allatus locus ex Pseudo-Plutarcho de Plac. phil. I. 8. genios esse substantias animales, heroas etiam esse animas corporibus solutas, bonos quidem bonorum animos, pravos pravorum.

(75) Dissert. laud. p. 75.

(76) Cic. Offic. III. 28. (77) Ibid.

(78) De Benef. IV. 19. cf. VII. 1. p. 368.

cum omnibus malis, quae inde possint manare, molestae atque intolerabili temperantiae anteponat.

De Cicerone et de Seneca satis respondere possumus, eos hac doctrina non sustulisse malorum poenas: de antiquis Stoicis quid in hanc partem statuamus, exploratum satis non habemus. Ciceronem multa de poenis, a Diis humano generi inflictis, loca defendunt, uti postea magis videbimus. Senecam, praeter alia, egregius locus in Epistolis, quem vellem tamquam apologiam pro hoc Stoicorum effato assumi liceret: *Errat*, inquit, *si quis putat, illos nocere velle: non possunt, nec accipere injuriam queunt, nec facere. Laedere enim laedique conjunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, nec periculosos quidem fecit. Primus est Deorum cultus, Deos credere; deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. Scire, illos esse qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum, nec habent: caeterum castigant quosdam et coërcent et irrogant poenas, et aliquando specie boni puniunt. Vis Deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit quisquis imitatus est* (79).

Haec de antiquioribus Stoicis.

De iis, qui ab hac doctrina aliquantum recesserint, Aristone, Herillo, non est, quod dicamus: nam in iis, quae ad nostram quaestionem pertinent, nihil inveni, quod aliter quam caeteri statuissent, et praeterea satis notum est, Aristonem illum locum, qui admonitiones ad virtutem continet, repudiasse (80); sententiam vero de Deo, quae illi a Vellejo apud Ciceronem (81) tribuitur, non eo valere, ut nullum Deum statueret, recte observavit Bruckerus in Historia Philosophiae (82).

Quoniam vero subinde recentiorum Stoicorum mentionem injeci, ubi illorum mihi testimoniis opus erat, ad antiquorum placita exponenda, age breviter videamus, quatenus a veteribus differant: nam, etiamsi ultra antiquas scholas a Socrate profectas nostra non progredietur oratio: tamen quoniam hi

(79) Ep. 95. p. 604. B.
(80) Sext. Empir. adv. Math. VII. p. 140. B. Seneca Ep. 89. p. 572. A.
(81) N. D. I. 14.
(82) T. I. p. 970. Cf. Bayle Dict. Hist. et Crit. T. I. p. 468. not. C.

hi Stoici recentiores multis locis eandem profitentur doctrinam ac veteres, quorum quidem disciplinae cognitionem magnam partem eorumdem diligentiae debemus, illos praetermittere nolui; illa certe loca, quibus a veteribus differant, attingenda videbantur.

Praecipui sunt Seneca, Epictetus, et Antoninus. Cicero, etsi plurimam ei debemus Stoicae doctrinae notitiam, ipse tamen non erat Stoicus. Sed cum Academicus et esset et haberi vellet (83), at simul etiam multa probaret, quae ad Stoicam pertinerent disciplinam, hanc cum illa in gratiam videtur voluisse reducere, vel potius ostendere, eandem fuisse ab initio Academicorum et Stoicorum rationem, nec ab his quidquam potissimum nisi nomina esse mutata. Et quod ad nostram quaestionem attinet, in duobus praesertim locis a Stoicorum doctrina recessisse videtur, in capite de statu animorum post mortem corporis, et in iis, quae de bonorum malorumque remunerationibus poenisque tradat.

De immortalitate animi Platoni assentitur, ejusdemque adeo argumenta nonnulla assumsit; et a Stoicorum doctrina recessit, cum diceret, animum non esse corporeum (84); et aperte iis repugnat dicentibus, animos aliquamdiu remanere, non semper (85). At vero etiam saepe clara voce Deos post hanc vitam proborum malorumque habituros rationem praedicat, multaque etiam in fragmentis loca supersunt, quae quidem tamquam hujus rei testimonia non afferre audeamus, quia non satis scimus, qua mente a Cicerone prolata sint, non omnino tamen videntur negligenda.

Quod si (et hoc praemonendum videtur) nonnullis locis ita statuere videatur, animos hominum post hanc vitam vel beatos vel nullos fore (86), haec ita ab illo disputata esse videntur, quod illis locis de honestis viris tantum cogitaverit, quod quidem veri non omnino dissimillimum esse, sequentia etiam declarabunt (87).

Pri-

(83) Cf. Wyttenb. de Statu anim. caet. Verhand. van Teylers Genootsch. T. IV. p. 79 et 80.

(84) Fragm. p. 62. fin.

(85) Tusc. Quaest. I. 31. 32. Cf. van Wesele Scholten, Diss. philos.-crit. de philos. Ciceron. loco qui est de Divina Natura, C. III. §. 6.

(86) Ut Senect. 19. 20. Amicit. 4. N. D. II. 2. cet.

(87) Cf. etiam locus in Fragm. p. 61.

Primum igitur ii vates sive divinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid Ciceroni vidisse videntur (88), quare etiam Africanum ita in Somnio Scipionis loquentem facit. *Eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, Deorum et hominum jura violaverunt: corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur: nec hunc in locum, nisi multis exagitati saeculis, revertuntur* (89).

Porro, quamquam honestum non deserendum esse dixerat, etiamsi omnes Deos hominesque celare possemus (90), tamen disertis verbis affirmat, Deos malos punire, remunerare bonos. *Sit igitur hoc*, inquit, *a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque, quae gerantur, eorum geri ditione ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri: piorumque et impiorum habere rationem* (91), et paulo post: *utiles esse autem opiniones has, quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quantae salutis sint foederum religiones, quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit? quamque sancta sit societas civium inter ipsos, Diis immortalibus interpositis, tum judicibus, tum testibus.*

Ita etiam initio legis, ex cujus prooemio haec attulimus: *Ad divos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amovento. Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit* (92), ~~donicque impii ne~~ placare audeant Deos vetat (93). Contra, vitam honestam viam esse in coelum affirmat, et omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in coelo ac definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur: nihil enim esse illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia coetusque hominum, jure sociatos, quae civitates appellantur (94); Pythagoreorum vero et Platonicorum sententiam probat, qui honestis viris praemia, improbis poenas post hanc vitam proposuerunt.

Prae-

(88) Fragm. p. 60. fin. (89) Somn. Scip. in fine.
(90) Offic. III. 8. (91) Legg. II. 7.
(92) Legg. II. 8. Cf. 10. ipsa legis explanatio.
(93) Ibid. 16. (94) Somn. Scip. 3.

Praeclare Platonicam Cicero cum Stoica doctrina copulavit: Deos immortales sparsisse animos in corpora humana censebat, ut essent, qui terras tuerentur, quique coelestium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitae modo atque constantia (95); nec tantum, ut antiqui Stoici, cognitionem rerum coelestium afferre modestiam, ordinem, caeterasque virtutes omnes (96): sed etiam secundum illum, *qui se ipse norit, aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit; tantoque munere Deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet; et cum se ipse perspexerit, totumque tentarit, intelliget, quemadmodum a natura subornatus, in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat, ad obtinendam, adipiscendamque sapientiam:* QUONIAM PRINCIPIO RERUM OMNIUM QUASI ADUMBRATAS INTELLIGENTIAS ANIMO AC MENTE CONCEPERIT: *quibus illustratus, sapientia duce, bonum virum et ob eam ipsam causam cernat se beatum fore* (97); et porro: *ipsa cogitatio de vi et natura Deorum* STUDIUM INCENDIT ILLIUS AETERNITATIS IMITANDAE, NEQUE SE IN BREVITATE VITAE COLLOCATUM PUTAT, *cum rerum causas alias ex aliis aptas et necessitate nexas videt* (98); denique, *cum nulli sit aequitatis antiquior cura, quam Deo, homo vero solus ex omni propemodum genere nactus sit aliquam notitiam Dei, nisi vitae iniquitate Deo iniquus atque invisus evaserit, ad Deum certe evolabit* (99), nec, ut Stoici, aliquamdiu permanebit, sed omni aeternitati felicitatem suam adaequabit (100).

Haec de Cicerone pro instituto nostro sufficiant: praecipua loca attigi; caeterum accurate diligentissimeque Ciceronis de cultu divino locum tractavit B. P. van Wesele Scholten, Vir doctissimus, in egregia dissertatione de philosophiae Ciceronianae loco, qui est de divina natura (101), ubi tam multa ad praesentem quaestionem utilia inveniuntur, ut fere Ilias post Homerum sit, fusius de hoc argumento disputare.

Germanus erat Stoicus Seneca, cui etiam multa debemus ad veteris doctrinae intelligentiam necessaria. Multa fortasse ex illorum libris hausit, quos

(95) Cat. Maj. 21. (96) Ibid. et Fin. IV. 5.
(97) Legg. I. 22. (98) Tusc. V. 25.
(99) Consol. p. 157. (100) Cat. Maj. 21. 22.
(101) Cap. IV. praesertim §. 2.

quos cum temporis injuria absumserit, non novimus hodie, unde sequitur, probabile esse, multa Senecae tribui, quae proprie ad antiquos Stoicos pertineant. Attamen sunt loci quidam, ad quos libenter revertitur, et quos prae caeteris scribendi genere illustravit, quique cum in iis, quae certo scimus ad veteres Stoicos pertinere, non ita fuse expliciti occurrant, notandi certe sunt in hac scriptione, praesertim cum vel maxime ad nostram quaestionem pertineant (104).

Primo Deum proposuit Seneca tamquam honesti viri exemplum. Porro praeceptum illud *sequere Deum* prae caeteris multifariam commentatus est, et placitum illud *necessitate ac Deorum numine omnia regi*, cum superiori conjunctum, ita adhibuit, ut inde solatium miseris peteret, felices ad constantiam et modestiam adhortaretur, eosque a temeritate et vanitate absterreret. Denique his aliisque praeceptis ita *sapientem Stoicum* informavit, ut eum non modo supra omnia humana collocaret, sed et ipsi Deo anteponeret.

Breviter de hisce capitibus videndum erit, cum eadem alibi nusquam ita absoluta atque perfecta inveniamus.

Primum locum ita exornavit, ut fere ad Christianae religionis sanctitatem puritatemque accederet. Primum ad sapientiam et temperantiam omnemque animi concordiam ac veluti concinnitatem Deus est sapientis exemplum (105), *ad illum iter faciendum* (106), *bonus vir sine Deo nemo est*, *qui conscientiam nobis dedit malorum bonorumque observatricem atque custodem* (107): deinde in eo Deus imitandus, quod in illum ira non cadat (108), et quod maxima adversus improbos clementia utatur; *servare enim proprium est excellentis naturae* (109): porro, *qui dat beneficia, Deos imitatur, qui repetit, foeneratores* (110). Sicuti Dii nonnullos propter parentes indulgentius tractant, ita et nobis faciendum (111); omnes homines et servos adeo ita tractare debemus, ut nos non metuant, sed ament, sicuti nos ipsi Deum (112): *Dii tot munera, quae sine intermissione diebus*

(104) De Senecae instituto in explicandis Stoicorum placitis vid. ejus Epist. 33.
(105) Seneca de vita beata, c. 8. (106) Ibid. 21.
(107) Ep. 41. (108) De Ira II. 16. (109) De Clementia I. 5.
(110) De Beneficiis III. 15. (111) Ibid. IV. 32.
(112) Ep. 47. p. 463.

bus ac noctibus fundunt, non darent, nisi esset per se expetenda liberalitas: in omnia enim illis natura sua sufficit, plenosque et tutos et inviolabiles praestat (113). Nihil Dii, praeter ipsam faciendi rationem, sequuntur, nulla adducti mercede (114), et ingratis adeo beneficia tribuunt. Ita et nobis faciendum (115). Nemo porro Deo dignus, nisi qui opes contempserat (116).

Alii Stoici ejusdem aetatis Deum etiam hominibus imitandum proposuerant: inter quos festive sane Musonius statuit, hominem decere alimentis uti quam simillimis iis, quibus uterentur Dii. Diis autem sufficere exhalationes a terris aquisque elatas; nos igitur optime illos imitari, si quam levissimis purissimisque cibis potibusque utamur (117).

Seneca non solum ad imitandos Deos nos admonet, sed et argumentis, ex divina existentia justitiaque petitis, ad eamdem rem perficiendam adhortatur. Ita ex rerum natura ac consociatione et ex nostra cum caeteris hujus mundi partibus societate, cujus et ipsi secundum Stoicam doctrinam partes sumus atque membra, ad mutuum amorem ac societatis humanae cultum nos excitat (118). Ita ex Deorum omniscientia virtutis adhortationes ducit: *Deos praesides, factorum dictorumque censores* (119) et *ingratorum omnium veluti testes* esse declarat (120; *sic vive cum hominibus*, inquit, *tamquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant* (121). Et alio loco, *ita vivendum esse* dicit, *tamquam in conspectu vivamus: sic cogitandum, tamquam aliquis in pectus intimum inspicere possit: et potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clusum est* (122).

Hinc etiam concludi posset, Senecam poenas et remunerationes non omnino repudiasse: de iis vero, quae post hanc vitam futurae sint, non loquitur, quamvis in iis, quae ad statum animorum post hanc vitam pertineant, non

(113) De Benef. IV. 3. (114) Ibid. 25.
(115) Ibid. VII. 31. (116) Ep. 18. p. 419.
(117) Stobaeus Serm. Tit. XV. p. 138.
(118) Ep. 95. p. 604 et 605.
(119) De Vita beata, 20. Cf. Ep. 102. p. 623. B.
(120) De Benef. III. 17. (121) Ep. 10.
(122) Ep. 83. Cf. Fragm. p. XXXIII. No. 26 et 28.

non omnino cum Stoicis sentiat (123). Praeterea etiam argumentis, a Deo petitis, honestum solum bonum esse efficere conatur, inde scilicet, quod, nisi honestum solum bonum sit, Deum infelicem esse necesse sit, quoniam ei nec voluptas, nec divitiae, nec quidquam nisi honestas sola suppetat (124).

Secundo loco dicendum de praeceptis illis *sequere Deum* et *necessitas omnia regit*. Seneca frequentissime iis usus est, ut sibi aliisque in rebus adversis solatium afferret. Et hoc etiam maxime cum Stoicorum ratione congruebat, qui et divino dicto audientes, nihil malum ducentes, nisi quod turpe esset, Deo necessitatique parebant, nec quidquam optabant, nisi quod in sua esset potestate: quod etiamsi apprime valeat ad vitam humanam contra fortunae casus muniendam, nisi tamen modestia quadam ac moderatione temperetur, facit, ut homo sese cogitationis errore supra Deos extollat, et, cum ratiocinando calamitatum mitigare acerbitatem conetur, revera sophistica ratiocinatione ingenio obtrudat, quod ei persuaderi nequeat, doloris vero aculeos in intima mente relinquat. Sed videbimus, quemadmodum Seneca praeclare exorsus turpissime ad finem labatur. Demonstravimus supra, in locis e Senecae scriptis allatis, quemadmodum de fato cogitaret, idque cum Dei voluntate copularet. In calamitatibus igitur maximum inde solatium peti potest, quod necessitas evitari nequeat, et Deo obediendum sit; et hac igitur ratione opinionibus de Dei benevolentia ac sapientia ad patientiam doloresque sapienter ferendos adhortabatur. *Diutius accusare fata possumus, mutare non possumus, stant dura et inexorabilia, nemo illa convicio, nemo fletu, nemo causa movet: nihil umquam parcunt ulli, nec remittunt* (125). *Sed sapiens etiam nihil facit invitus: necessitatem effugit, quia vult quod ipsa coactura est* (126). Sed praeterea etiam Deum inter, horum fatorum auctorem, et hominem amicitia est, conciliante virtute; *hominem vero Deus, parens magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut severi patres durius educat. Deus bonos viros fortiter amat*, et uti quemque maxime diligit, ita

(123) Ep. 57. p. 480. B. Cf. Wyttenb. Verhand. van Teylers Genootsch. Sect. XII.
(124) Ep. 74. p. 518 et 519. Ep. 83. p. 553. B.
(125) Consol. ad Polyb. p. 93. B.
(126) Ep. 54. Cf. Ep. 96. *Non pareo Deo, sed assentior: ex animo illum, non quia necesse est, sequor.*

ita ad maximas eum calamitates educat, ut bonus imperator fortissimos quosque maximis periculis dignos existimat (127). *Etenim Deo propositum est demonstrare, haec quae vulgus appetat, quaeque reformidet, nec bona esse nec mala: mala vero illa bona iis, qui fortiter illa tolerant* (128). In omnibus igitur ac maximis adeo cruciatibus *verus sapiens, tamquam fortis miles amabit eum, pro quo cadet, imperatorem, habebitque in animo illud vetus praeceptum:* DEUM SEQUERE. *Ad hoc enim sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quae vitare nostrae potestatis non est. In regno nati sumus; Deo parere libertas est* (129). Sapientia nos adhortabitur, *ut Deo libenter pareamus, ut fortunae contumaciter resistamus: haec docebit, ut Deum sequaris, feras casum* (130).

At vero, cum ita instruxisset sapientem suum Seneca, factum est, ut inani vanitate elatus humanos casus, quos nemo non modo evitare potest, sed quibus praeterea omnes afflictari necesse est, contemneret, et etiamsi fateretur sese eorum acerbitatem sentire, eosdem tamen ad se pertinere negaret, et ita sese (quod ad praesentem quaestionem facit) revera Deo adaequaret. *Bono viro*, secundum Senecam, *nihil accidere mali potest. Non miscentur contraria: manet in statu, et quidquid evenit in suum colorem trahit: est omnibus externis potentior* (131). *Nihil injustum justitia pati potest: quia non coeunt contraria: injuria autem non potest fieri non injuste: ergo sapienti injuria non potest fieri* (132). Idcirco spectaculum esse dignum censet, *ad quod respiciat intentus operi suo Deus, virum fortem cum mala fortuna compositum. Non video enim*, inquit, *quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis stantem, nihil minus inter ruinas publicas rectum* (133). Jam non ad Deum homo, sed ad hominem Deus respicit. Seneca hoc spectaculum fortasse ex Theophrasti theatro expressit, de quo su-

(127) De Provid. 1. 2. 4. p. 138. (128) Ibid. 5. p. 140.

(129) De Vita beata, 15.

(130) Ep. 16. p. 415. A. Cf. Ep. 90. p. 579. B. et Ep. 107. p. 632. et multis locis aliis.

(131) De Provid. 2. (132) De Constantia, 8.

(133) De Provid. p. 133.

supra egimus, sed, uti saepe fit, rem laudibus exaggeravit, aurei illius praecepti oblitus: *Ne quid nimis.* Etenim sapiens non solum Deo vicinus et similis (134), nemo enim aut nocere sapienti potest aut prodesse, *quemadmodum divina nec juvari desiderant, nec laedi possunt* (135), ingentiaque et aequa sunt divinis praemia fortitudinis et sapientiae (136); non solum *ex superiore loco homines videt, ex aequo Deos* (137), ita ut etiam omnibus amicis destituti, apud barbaram gentem exsulantis sapientis vita Jovis vitae similis sit, *cum resoluto mundo, et Diis in unum confusis, paullisper cessante natura, acquiescit sibi, cogitationibus suis traditus* (138); sed Deum etiam antecedit sapiens, *ille enim extra patientiam malorum est, hic supra patientiam* (139). *Jupiter enim plus non potest, quam bonus vir. Plura Jupiter habet, quae praestet hominibus, sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior: non magis quam inter duos, quibus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris, cui majus speciosiusque navigium est. Jupiter quo antecedit verum bonum? diutius bonus est. Sapiens nihilo se minoris aestimat, quod virtutes ejus spatio breviore clauduntur. Quemadmodum ex duobus sapientibus, qui senior decessit, non est beatior eo, cujus inter pauciores annos terminata virtus est: sic Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit aetate; non est virtus major quae longior. Jupiter omnia habet: sed nempe aliis tradidit habenda; ad ipsum hic unus usus pertinet, quod utendi etiam omnibus caussa est: sapiens tam aequo animo omnia apud alios videt, contemnitque, quam Jupiter: et hoc se magis suspicit, quod Jupiter uti illis non potest, sapiens non vult* (140). En sapientem Stoicum: ulterius progredi in hac nostra scrip-

(134) Consol. ad Helv. 5. De Tranquillitate animi 2. et Ep. 48. p. 465. A: *hoc est, quod philosophia mihi promittit, ut me parem Deo faciat.* et Ep. 87. p. 562. A: *quaeris, quae res sapientem facit, quae Deum, id est, recta ratio.* Cf. Lipsius ad h. l.

(135) De Constantia sapientis, 8.

(136) De vita beata, 16.

(137) Ep. 41. p. 454. A.

(138) Ep. 9. p. 401. A. Cf. etiam de Benef. VII. 3. et de Tranquill. animi, 8: *Si quis de felicitate Diogenis dubitat, potest idem dubitare de Deorum immortalium statu.*

(139) De Provid. 6. p. 142. C.

(140) Ep. 73. p. 516 et 517. Cf. Ep. 53. p. 474.

scriptione non possumus: culmen attigimus et cito a tanta altitudine ad humiliora descendendum, nisi in altum velimus sublati videri, quo lapsu graviore ruamus. Quantum nos potius Aristotelicam in hoc argumento jejunitatem amplectamur, quam cum Stoicis honestatis et sapientiae praecepta a Deo nullam aliam ob causam derivemus, nisi quo facilius nos supra devinitatem extollamus. At vero ita ipsi sese ratiocinationum praestigiis decipiunt homines: quum omnium virtutum maximam atque gravissimam, temperantiam ac modestiam, repudiant. Etenim non modo temperantiae est voluptatem contemnere, fortiter ferre dolorem, nullis nec cruciatibus nec mortis adeo timoribus succumbere, sed etiam, et nescio an multo etiam magis, fastum reprimere, modestiam colere, nec, quantamcunque adeptus sis virtutum excellentiam, idcirco alios, cui non eadem felicitas contigit, despicere atque infra se positos existimare. Certatorum in stadio non est de se invicem judicare, nec contemnere illos, quos post se relictos sero metam attingere videant: soli brabeutae, qui totum curriculum oculis complectuntur, judicent, quidnam fuerit, quod horum cursum retardarit, quod ipsi evitare non potuissent.

Videtis, Viri Eruditissimi! quantopere a Socratica moderatione Stoici recesserint. Nam, etsi haec apud Senecam invenimus, Stoicum recentiorem, Stoicus tamen fuit, et vidimus jam antea, quantis ornamentis veteres etiam Stoici sapientis sui imaginem condecoraverint; praeterquam quod genuinum est illud Stoicum placitum, virtutem non diuturnitate, at dignitate censeri.

Regnent igitur in philosophia Stoici, et ita sese extollant, quemadmodum ab eodem Seneca scriptum legimus, *tantum interesse inter Stoicos et caeteros Philosophos, quantum inter mares et foeminas, ad obsequendum hos, illos imperio natos esse* (141): regnent, uti arbitrantur Stoici; quantum a vera philosophia aberrent, non vident, cum humanitatem repudiant. Quid enim fastuosi isti philosophi? illosne vitae societati, hominum coetibus obeundis, reipublicae prudenter administrandae aptos esse putabimus, qui, cum ad se fortunae casus pertinere non putent, eosdem, si in aliis videant, dolere nequeant, quique, uti a veteribus accepimus, misericordiam philosopho indignam existiment, et turpissimas adeo actiones, ut parentum cum na-

(141) De Constantia Sap. I.

natis connubia inter indifferentia referant, easque non tamquam illicitas vetent (142).

Ex iis, qui Philosophiam Stoicam scriptis illustrarunt, restant Arrianus et Marcus Antoninus. Arrianus, Xenophontem secutus, magistri Epicteti, ut ille Socratis, dicta memorabilia collegit, et totidem libris complexus est, quibus adjunxit Enchiridion, praeceptorum moralium collectionem ab eodem Epicteto traditorum.

In his scriptis non invenimus placitorum congeriem, disciplinae forma descriptam, sed praecepta doctrinae moralis. Itaque illud tantum videndum erit, utrum in hisce praeceptis tradendis notionibus divinae existentiae atque providentiae usus sit auctor ad virtutem commendandam. In principiis initiisque doctrinae, quatenus haec attingat, Stoicos secutus est. Itaque separatim ea, quae de divina providentia, de virtute ad beate vivendum se sola contenta, caeteris, dicta sint, commemorare non est opus. In Dissertationibus Epicteteis et Enchiridio inprimis valet adhortatio ad patientiam in fortunae casibus leniter ferendis, admonitionibus ad obedientiam erga Deum confirmata.

Diis obedire et libenter illos sequi debemus (143); idcirco hujus vitae miseriae sustinendae (144); ita a Deo constituti sumus, ut ordine agamus, et fini, quem nobis proposuit, respondeamus: scilicet ut ejus opera contemplemur et enarremus, facultatibusque nostris utamur, ut fortiter omnes fortunae casus perferamus (145), etsi id ipsum Deum sequi etiam tamquam finis proponitur (146). Ex nostris malis contra universum nihil concludere debemus; Jovis voluntati, qui Parcis praesentibus res nostras inde ab ortu nostro dispertiat ac dirigat, refragari nec possumus nec debemus (147). Tamquam filius Dei Patri obedire, nec quidquam facere oportet, quod ei ingratum sit (148), aut tamquam miles imperatori obedien-

(142) Diog. Laërt. VII. p. 209 et 210. Sext. Empir. Pyrrh. Hypot. III. p. 161. Plutarch. repugn. Stoic. p. 466. A.

(143) Epict. Enchir. c. 31. Cf. c. 52.

(144) Fragm. p. 773 et 774. Ed. Upton.

(145) Dissert. I. 6.

(146) Ibid. 12. p. 72. sq.

(147) Ibid. p. 76 et 77.

(148) Ibid. II. 10.

diendum (149); nam si velis id, quod Deus, numquam infelix eris (150), et una via ad prosperitatem: rebus externis cedere, nihil proprium judicare, et omnia Deo et fortunae commendare (151). Omnino haec Dei obtemperantia utramque facit paginam in Epicteteis libris et facile in iis agnoscas hominem, calamitatis acerbitate afflictum, qui hisce adhortationibus aegritudinem lenire, seque contra fortunae impetum corroborare conatur.

Porro frequenter utitur persuasione illa, Deum adesse omniumque esse rerum testem, quo magis ad virtutem alios adhortetur. Causa, cur nihil abjecti faciamus, est, quod cogitemus, Deum nostrum esse patrem (152). Irasci homini, fratri nostro, ex iisdem Diis oriundo, Diis non gratum est (153). *Deus a nobis inquinatur, cum impuris cogitationibus, tum sordidis actionibus: quod vero Dei simulacro praesente non auderemus, id, Deo intus nobis habitante, facere non veremur* (154). *Si Minervae*, inquit, *vel Jovis statua esses, a Phidia confecta, et haberes sensum, faceres omnia, ne quid indecori in te admitteres: quid vero nunc, cum te Jupiter fecit* (155). Optima ratio resistendi animi perturbationibus et libidini haec est, *si vere cupiamus Deo pulchri videri* (156). *Deum adjutorem advocare debemus, ut Castorem et Pollucem, qui tempestate navigant* (157). *Pater et frater honorandi, nam sunt a Jove* (158).

De praemiis et poenis post hanc vitam fere caeteros secutus est: Acherontem et Orcum contemnit (159); nec fere de statu post hanc vitam loquitur, nisi v. c. ubi dicit, bonos aliquando Deorum futuros esse convivas, vel et *συνάρχοντας* (160).

Non opus est, credo, animadvertere, et in hisce libris Stoicum illud fas-

(149) Ibid. III. 24 p. 492. (150) Ibid. II. 17. p. 270.
(151) Ibid. IV. 4. p. 595. Cf. II. 16. p. 264.
(152) Dissert. I. 3. p. 20. Cf. c. 9.
(153) Dissert. I. 13. *οὐκ ἀνέξῃ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ σεαυτοῦ, ὃς ἔχει τὸν Δία πρόγονον; ὥσπερ υἱὸς ἐκ τῶν αὐτῶν σπερμάτων γέγονε καὶ τῆς αὐτῆς ἄνωθεν καταβολῆς.*
(154) Dissert. II. 8. p. 206. *ἐν σαυτῷ φέρεις αὐτὸν, καὶ μολύνων οὐκ αἰσθάνῃ ἀκαθάρτοις μὲν διανοήμασι, ῥυπαραῖς δὲ πράξεσι.*
(155) Dissert. II. 8. p. 207.
(156) Dissert. II. 18. p. 278 et 279. (157) Ibid. p. 281.
(158) Dissert. III. 11. (159) Ibid. 13. p. 413.
(160) Enchir. 15.

fastidium, de quo supra dixi, non deesse: sed, quam ejus documenta et minus frequenter occurrant, et plerumque leniora sint, quam apud Senecam, non opus est repetere hoc loco, quae supra demonstravi.

In Antonini Commentario, egregio libello, eamdem doctrinam invenimus, etsi alio modo et multo modestius enunciatam. In Epicteto videmus magistrum gravem, severum, acerbum etiam, praecepta non ab omni duritie atque animositate libera, facetias denique rarissime Attico sale perspersas: in Antonini commentariis lenitas quaedam ac humanitas adest, et quasi per totum librum regnat, ita ut hominem, quem ita sincere atque modeste virtutem amare videas, non diligere nequeas.

De doctrinae principiis, de providentia, fato, honestate, et lege illa, secundum naturam vivere, nec hoc loco dicere opus est, ob eamdem rationem cur hoc praetermisimus, ubi de Epicteto egimus. Egregie ita statuit, primum hominis officium esse Deo parere, sive universo tantum, sive etiam hominibus singulis consulat: quippe quem necesse sit, semper operi suo bene velle; et vero etiam, etsi nullam Deus humanarum rerum curam gereret, hominem tamen sibi ipsi consulere debere, nec unquam id fieri posse melius, nisi vivendo secundum naturam, id est virtute colenda (161). Qui injuste agit, impie agit: natura enim nos in lucem edidit, ut nobis invicem prodessemus: qui hec placitum naturae violat, impie agit adversus numinum omnium antiquissimum.

Natura autem ipsa est veritas: qui ergo mentitur a natura dissentit et impie agit; qui voluptates tamquam bona sectatur, dolores fugit ut mala, impie agit, quippe quem saepe de natura conqueri necesse sit, et saepe ea agere, quae naturae adversa sint (162). — Obedientiam erga Deum ubique commendat: se velle secundum ejus admonitiones et veluti inspirationes vitae cursum dirigere (163); boni viri esse, genium, intra se in pectore locatum, non polluere, sed placidum servare (164); talem enim genium Jupiter cuique indidit, tamquam particulam a se avulsam! qui huic genio paret cum

(161) Anton. Comm. VI. 44. Cf. IX. 28. p. 155.

(162) Ibid. IX. init. Cf. Fragm. Musonii apud Stobaeum Serm. p. 242. fin. et p. 435. fin. ubi ostenditur, mollitiem esse injustitiam ideoque impietatem.

(163) Anton. Comm. I. 17. (164) Ibid. II. 16.

cum Diis vivit. Genius autem est cujusque ratio (165); porrò mens nostra tamquam pars universi colenda; sicuti mens universi id est Deus, colendus est (166). Multis etiam locis, id quod apud Epictetum (167) etiam invenimus, docet nos, cum partes simus universi a Deo factae, universo cedere oportere (168); quod quatenus probandum sit, in Sectione de Platone declaravimus. *Ille*, inquit, *numine divino fertur et mente sua ad eadem fertur* (169). Nihil facere oportet homo, nisi quod Deus velit; et libenter accipere, quidquid ei ab illo accidat (170). Dei exemplio etiam utitur, ut eo ad virtutem homines adhortetur: Dii malos tolerant, ergo et nobis ita faciendum (171); ex vita propitie excedendum, nam is, qui nos dimittit, propitius est (172). Ita etiam Musonius regem ad Dei imitationem adhortatur (173); et omnino Deum homini tamquam exemplum proponit in virtute colenda (174). — Ne peccandi libidini indulgeamus, cogitemus oportet, Deum mentes nostras nudas intueri (175) — De poenis praemiisque post hanc vitam non pronunciavit uti caeteri; imo loco quodam ad reditum animi in universam mentem secundum Stoicorum doctrinam respicere videtur (176).

Haec habui, quae de recentioribus Stoicis dicerem. Quod si tandem quaeramus, quae fuerit summa sententiae Stoicorum, huc fere redit.

In initiis principiisque doctrinae *virtutem* omnino ad *Deum* referebant, nam

(165) Ibid. V. 27. Cf. XII. 26. (166) Ibid. V. 21.

(167) Dissert. IV. 7. p. 622 et 623.

(168) Anton. Comm. II. 3.

(169) Ibid. XII. 23. fin. οὕτω γὰρ καὶ θεοφόρητος, ὁ φερόμενος κατὰ ταὐτὰ θεῷ, καὶ ἐπὶ ταὐτὰ τῇ γνώμῃ φερόμενος. Cf. X. 11. fin.

(170) Ibid. XII. 11.

(171) Ibid. IX. 11. Εἰ μὲν δύνασαι, μεταδίδασκε· εἰ δὲ μή, μέμνησο, ὅτι πρὸς τοῦτο ἡ εὐμένειά σοι δέδοται· καὶ οἱ θεοὶ δὲ εὐμενεῖς τοῖς τοιούτοις εἰσιν — οὕτως εἰσὶ χρηστοί, ἔξεστι δὲ καὶ σοί. Cf. IX. 27. VII. 70. οἱ θεοὶ ἀθάνατοι ὄντες οὐ δυσχεραίνουσιν, ὅτι ἐν τοσούτῳ αἰῶνι δεήσει αὐτοὺς πάντως ἀεὶ τοιούτων ὄντων καὶ τοσούτων φαύλων ἀνέχεσθαι· προσέτι δὲ καὶ κήδονται αὐτῶν παντοίως· σὺ δέ, ὅσον οὐδέπω λήγειν μέλλων, ἀπαυδᾷς; καὶ ταῦτα, εἷς ὢν τῶν φαύλων;

(172) Ibid. XII. 36.

(173) Stob. Serm. Tit. XLVI. p. 334.

(174) Stob. Serm. Tit. CXIV. p. 509.

(175) Anton. Comm. XII. 2. (176) Ibid. IV. 14.

nam cum *finem esse* dicerent *honestatem*, eamque in eo ponerent, *ut secundum naturam viveretur; hominum vero natura ab universa, quae totum mundum regeret*, id est, *a Deo esset profecta, et arctissime cum illa conjuncta ac consociata, ita ut quidquid huic conveniret, idem illi esset bonum atque utile:* sequebatur *virtutis esse naturam in eo positam, ut cum Deo, id est, cum perfectissima virtute congrueremus:* rationem autem, cur ita vivendum esset, in eo esse positam dicebant, *quod, cum bonum esset ita vivere, ut natura ferat, nostrae naturae, cum communi natura conjunctae, satisfieri non posset, nisi secundum communem naturam*, id est, *ad Dei exemplum viveremus.* Et eodem etiam pertinet, *quod communi quadam Deorum ac hominum societate devincti simus, et ita iisdem, quae inter Deos ipsos jura sint atque leges, uti et possimus et debeamus.*

In praeceptis unum quidem illud maxime valuit *sequere Deum*, sed magis *ad consolandum* eo usi sunt, quam *ad virtutem commendandam. Virtus* praeterea *cum per se omnia felicitatis momenta compleret*, praeter hanc *praemia* aut *poenae* fere non commemorantur, vel *in hac vita* vel *post mortem corporis*, nisi *diuturnior quaedam eorum remansio, qui honestatis essent munere perfuncti.*

Ex recentioribus autem Stoicis, vel iis qui eorum placita literis mandarunt, Cicero praeclare Stoicam cum Academica ratione copulavit, et in eo ab illa deflexit, quod, et *in hac vita* et *post mortem corporis, poenas et praemia hominibus a Diis immortalibus proposita esse* statueret, ex quibus *maximam esse virtutis remunerationem* existimabat *Deorum et sapientum coetui concilioque interesse.* Seneca, magis quam veteres Stoici, *Deum* tamquam *persona* induebat, eumque tamquam *exemplum* hominibus proponebat, ab ejus *omniscientia virtutis munimenta et adhortationes* petebat; *vetere praecepto* *s e q u e r e   D e u m* *miseros ad patientiam fortitudinemque* excitabat; sed hac ratione etiam sapientem suum ita instruxit, ut *illum et felicitate et dignitate Deo similem redderet, interdum etiam anteponeret.* Denique in Epicteti Enchiridio et Dissertationibus ab Arriano editis, nec non in Antonini Commentariis, multas invenimus ad honestatem admonitiones, ex *obedientiae erga Deum necessitate*, ex *Dei omniscientia*, et ex *nostra cum Diis immortalibus societate ac veluti necessitudine* petitas.

SEC-

SECTIO IX.

De aliis Sectis, quae ex Socratis schola prodiere.

Restat, ut de aliis Sectis videamus ex Socratica schola exortis. Cynicis et Stoicis plerumque opponuntur, et jure quidem, *Cyrenaici* et *Epicurei*. At iis in hac disputatione locus esse nequit, si quidem tantum aberant ut a Deo vel principia honestatis vel admonitiones ad virtutem colendam repeterent, ut aut Deos omnino esse negarent (1), aut eos sempiterna quiete ac feriis ab rerum humanarum procuratione removerent. Quod si Theodorus v. c. magis de Diis popularibus cogitavit, cum opinionem de Diis aversaretur, hoc nihil ad nos, nam, quantum scimus, nullam iis notionem de divina natura substituebat, qua in doctrina morali uteretur.

Aristippus, Cyrenaicae scholae conditor, voluptatem cum summum bonum diceret, addebat corporis voluptatem meliorem esse voluptate animi (2), et praeterea nihil natura justum esse affirmabat, at cujusque civitatis legibus definiri (3). Epicurus, etsi multis locis ab Aristippo differt, ejusque doctrina a nonnullis non inimica moribus ac honestati habetur, quod quatenus verum sit inquirere, non est praesentis loci ac scriptionis; Diis tamen non majorem in principiis praeceptisve disciplinae locum concedebat. Nam primum ex fortuito atomorum concursu mundum conflatum esse statuebat (4), non a Deo, a quo omnem rerum humanarum procurationem amovebat (5). Etenim cum Deum beatum et immortalem fingeret (6), ita firmiter sibi persuasum habebat Epicurus, nihil esse beatum, nisi quod quietum esset, ut Deum suum ab omni actione remotum sempiterno

(1) Diog. Laërt. II. p. 57. A. (2) Ibid. p. 55. F.
(3) Ibid. p. 56. C.
(4) Ibid. X. p. 277. (5) Cic. N. D. I. 8 — 10.
(6) Diog. Laërt. X. p. 296.

no otio ac tranquillitate frui existimaret (7); et quamvis hunc Deum ab hominibus coli vellet, ob id ipsum, quod beatus esset atque excellens, quoniam justam habeat venerationem quidquid excellat, metum tamen omnem ex eorum mentibus evulsit, et affirmavit, nihil quidquam timendum esse a Deo, a quo et iram et gratiam segregari necesse esset (8): et quum alii philosophi in hominum cervicibus imponerent sempiternum dominum, quem dies et noctes timerent (quis enim, festive sane Vellejus apud Ciceronem, non timeat omnia providentem et cogitantem et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii Deum) (9); cum igitur ita alii philosophi facerent, Epicurus ab altera parte Deum interposuit feriantem quemdam, et motum tamquam ultimum malum fugientem; ab altera parte hominem, qui Deum ob id ipsum colere debeat, quod si sibi ipsi accideret, maximum languorem et taedium animo ac corpori inferret. Scripserit igitur de pietate, de sanctitate Epicurus, revera omnem inter homines et Deum communitatem ac conjunctionem sustulit, qui Deum omnis actionis et virtutis adeo expertem statuat (10). Et quamvis id non faceret, nihil etiam ei opus esset Deo in moralis doctrinae principiis stabiliendis, qui justitiam nihil per se esse statuat, quoniam jus omne ex consensu et pacto hominum oriri censeat (11), et qui virtutem idcirco tantum colendam putet, quod efficiens sit atque ministra voluptatum. Quod etsi de animi voluptate intelligitur, quid tandem hominem ad virtutem adhortari possit, cui ita persuasum sit, nihil sibi cum Deo esse commune, et cum hac vita animum dissipari, sensumque omnem morte adimi (12). Absit igitur ab hac disputatione philosophia, cui tamquam finem esse propositum sciamus, vacuitatem a metu mortis et Deorum (13), quae verbia Deum

(7) Cic. N. D. I. 19. 20. Cf. 36. Cf. Seneca de Benef. IV. 19.

(8) Cf. Plutarch. quod dulce vivere secundum Epicuri praescripta non possimus, p. 246.

(9) Cic. N. D. I. 17. 20. de cultu Deorum cf. etiam Diog. Laërt. X. p. 298. E.

(10) Cic. N. D. I. 40.

(11) Diog. Laërt. X. p. 302. D. et 268. D. Cf. Cic. Fin. II. 15. Plutarch. adv. Colotem, p. 636. Cf. docta commentatio Garvii in libro saepe laud. p. 102.

(12) Ibid. p. 296. D. E. Cf. Cic. Fin. II. 31.

(13) Cic. Fin. I. 12. 19. Plutarch. quod jucunde vivere secundum Epic. non possimus, p. 252—255.

Deum relinquit; revera illum tollit (14), et quae etiamsi ipsa sit temperans et continens, maximis tamen erroribus januam aperit; quoniam nemo facile per omnem vitae cursum ita virtutis pulcritudinem perspiciat ac diligat, quin interdum corporis voluptatem honestati jucundiorem existimet; quod qui semel fecerit, verendum est, ne is totum se ei felicitati tradat, quam certo sciat, nec Deum unquam nec inferorum poenas vindicaturas (15).

De *Megarica* et *Eliaca* schola sive *Eretriaca* non est quod dicamus. Scimus quidem multa Megaricos a Platone sumsisse, in aliis vero, maxime quidem Dialecticis, Eleaticos et praecipue Xenophanem secutos esse (16); sed utrum aliquid, quod ad nostram quaestionem faceret, ab antiquioribus philosophis desumserint, nescimus, cum omnia eorum scripta abolerit vetustas, nihilque nobis hac de re a scriptoribus historiae philosophiae memoriae proditum inveniamus. Nam ex eo, quod de Euclide accepimus, illum bonum interdum Deum appellasse (17), non magis quidquam in bonam partem concludere licet, quam liceret continuo in malam partem assumere, quae Stilpon contra Minervam et populares Deos concionatus est (18). Omnino tamen magis dialecticam, et illam Sophisticam adeo, quam moralem disciplinam, videntur secuti, et, si Senecae credamus (19), magis haec eo valuit, ut dubia moveret et nullam esse scientiam convinceret, quam ut veritatem investigaret.

Neque etiam ad hanc disputationem *Sceptici* pertinent. Etenim Anaxarchus, quique eum secuti sunt philosophi, cum viderent insignem in placitis philosophorum discrepantiam, ita ut opiniones de bono et malo, de pulcritudine et turpitudine, multisque aliis rebus fluctuarent semper, atque huc illuc verterentur; cum porro (Anaxarchus scilicet et Pyrrho) magnis ac diuturnis itineribus multorum hominum mores atque instituta didicissent, reperissentque in iis, eandem esse cum differentiam, tum inconstantiam; cumque animadvertissent, de iis, quae sibi vera et bona viderentur, inter se digladiari solere homines, nec tamen unquam ad certum exitum rem perda-

(14) Cic. N. D. I. 44. Sext. Empir. adv. Math. VIII. p. 319. D.
(15) Cf. Seneca de vita Beata 13. 14.
(16) Cic. Acad. IV. 32.
(17) Diog. Laërt. II. p. 59. E.
(18) Ibid. p. 62. A. B. (19) Ep. 88. p. 570. B.

ducere, hinc concludebant (nec sane immerito, si illorum hominum scientiam a verae religionis luce remotam consideres) tutius esse in omnibus rebus judicii assensum retinere, et neutram in partem statuendo, cum nihil vel bonum vel malum judicarent, omnem a se perturbationum impetum propulsare, et ita a cupiditate et aversatione liberi, illa frui opinationis tranquillitate ac quiete, qua qui fruatur, non longissime iis a vera felicitate abesse videretur (20). Sceptici igitur, etiamsi secundum doctrinam suam actionis non essent expertes, et in vita communi aliis essent hominibus similes; cum et iis, qui hominum animis a natura essent sensus inditi, et corporis affectibus, legibus denique atque institutis parerent, in iis, quae in hominum societate vel agerent vel omitterent (21): in disceptando omni orationi orationem aequalis ponderis oppositam esse statuebant, nihilque natura vel bonum esse vel malum existimabant (22), et, auctore Sexto certe, in iis, quae sibi necessario acciderint, *affectionum moderationem ac temperantiam* servare conati sunt, quam μετριοπάθειαν vocabant (23).

Etsi igitur aliorum opiniones non idcirco impugnabant, ut sua placita iis opposita defenderent: satis tamen patet, idcirco Scepticis in hac disputatione locum non esse, quod in omnibus rebus non, quid sibi videretur, definirent, sed tantummodo ostenderent, aliorum in errore atque inconstantia opiniones versari. Ita v. c. multa argumenta contra Deorum existentiam ac providentiam proferebant, etsi in vita communi non negabant Deos esse, eos colebant, eorumque providentia geri res humanas concedebant (24).

Et, quod obiter monere liceat, ita haec omnium animis insita Deorum anticipatio apud Scepticos valebat, ut in ipsa argumentatione, qua Deos tollere conarentur, Deum, si esset, aliter nisi bonum cogitari posse negarent, idque impium fore dicerent (25). De Timonis fragmento apud Sextum Empiricum, utrum de Dei natura accipi debeat, non est certum; caeteroquin

(20) Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. I. 6. adv. Mathem. X. p. 457—466.
(21) Ibid. Pyrrh. Hyp. I. 11.
(22) Ibid. 6. Cf. III. 23. 24. adv. Mathem. X. p. 452. sq.
(23) Ibid. 13.
(24) Ibid. III. 1. Cf. adv. Mathem. VIII. p. 317. C.
(25) Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. III. 1. adv. Mathem. VIII. p. 335 et 338. D.

quin dicendum esset, eum certe non impie de Deo cogitasse, imo divinae naturae non omnem ad hominum vitam regendam auctoritatem denegasse (26).

CONCLUSIO.

Quod si, hoc jam itinere confecto, viam, quam peragravimus, respiciamus, et quo facilius pateat, quinam sit hujus disputationis exitus, brevi recognitione, ea quae ad quaestionem vestram Viri Eruditissimi! respondimus, repetamus: invenimus, antiquitus *Poëtas*, etiamsi non semper gravissime de Deorum atque hominum inter se invicem communitate cogitarent, illis tamen in hos imperium ita concessisse, ut bonos remunerarent, punirent improbos: et praeclara virtutis praecepta atque adjumenta, ex hac legum ac justitiae societate ducta, carminibus suis interspersisse; porro *Ionicos* philosophos magis physicis operam navasse; et cum ipsa moralis doctrina in hac schola magis sententiis atque admonitionibus, iisque dubiae plerumque auctoritatis contineretur, quam certa disciplinae forma, nihil fere, quod ad nostram quaestionem pertineret, docuisse. Idem fere de *Eleaticis* affirmare licet. *Pythagoras* vero, cum arctissimam homines inter et Deum societatis conjunctionem assumeret, inde saepe gravissimas ad honestatem adhortationes ducebat, quod ostendebat, optimum quemque et Deo simillimum eidem esse carissimum, et post mortem corporis summam felicitatem adepturum, ejusque contrarium improbis necessario accidere. *Socrates* justitiae originem a divina voluntate repetebat, sibique necessario nocere illum statuebat, qui illam contemneret, quod injustitiam poena veluti necessitate quadam consequeretur. Porro, ex Deorum erga nos cura atque amo-

(26) Stephani Poës. Philos. p. 73:

Ἦ γὰρ ἐγὼν ἐρέω ὥς μοι καταφαίνεται εἶναι,
Μῦθον ἀληθείης ὀρθὸν ἔχων κανόνα.
Ὡς ἡ τοῦ θείου τε φύσις καὶ τἀγαθοῦ αἰεὶ,
Ἐξ ὧν ἰσάντας γίνεται ἐσθλὸς βίος.

Conferatur de hoc fragmento Krug, Geschichte der Philos. alter Zeit p. 283 et 284. d.

amore, ex eorumdem justitia atque omniscientia maxima ad virtutem colendam incitamenta et praesidia derivavit. Magis tamen in praeceptis, quam in doctrinae initiis, Deum respexisse videtur, quod magis etiam de Pythagora dici potest. Socratis discipulus *Plato* virtutem per se expetendam esse statuit, ita ut honestum etiam sine Dei voluntate fas esse declararet, etsi arctissime illud cum Dei natura conjunxit, quippe quem bonum esse κατ᾽ ἐξοχὴν affirmaret. Unde etiam fiebat, ut divini ordinis atque constantiae, in hujus mundi partibus condendis, exemplo tamquam argumento uteretur ad virtutem commendandam, cujus naturam in eodem illo ordine ac partium convenientia poneret. Deus vero cum bonus sit, eundem justum esse ostendebat, ideoque illos, qui id agerent, ut ei quam simillimi evaderent, summo amore amplecti, alios vero, qui honestatem oderint, a conspectu suo amovere, omniaque in iis suppliciorum exempla edere.

Aristoteles, si ejus placita cum caeterorum clarissimorum philosophorum opinionibus conferas, omnium fere minime Deum in virtutis principiis et moralis doctrinae praeceptis adhibuit. Honestatem quidem in eo quodammodo cum divinae naturae praestantia convenire statuit, quod mente ac sapientia officiorum fines describeret; Deum porro justum esse et mortalium virtute gaudere concessit, sed de praemiis poenisve nihil fere prodidit, et omnino tam longo intervallo a Deo hominem semovit, ut, quaenam sit inter utrumque necessitudinis ratio, perspici fere nequeat. Quod tamen tantum abest, ut eum non summa pietate Deum coluisse, gravissimeque de eo sensisse statuamus, ut ea, quae de illo disputavimus, multo magis argumento esse judicemus, ita illum sanctissimum Numen suspexisse, ut de eo tacere mallet, quam aliquid ei tribuere, quod ejus dignitate ac majestate esset indignum.


Denique secundum *Stoicos* virtutis erat in eo ratio posita, ut cum universi natura, id est, cum divina mente conveniret, quae omnia vi sua ac ditione regeret ac gubernaret. Hanc vero honestatem, quam ita arctis vinculis cum Dei natura consociatam esse dicerent, plerumque ita laudibus extollebant, et ita per se ipsam valere arbitrabantur, ut qui hac honestate ornatus esset, nec alia quadam felicitate, tamquam virtutis praemio indigeret, nec hominibus nec Deo egeret, ad hanc felicitatem complendam, ita ut non modo omnia humana infra se duceret, sed et Deo adeo sese anteponeret, un-

unde sequitur, doctrinam poenarum ac praemiorum nullius esse momenti in Stoica disciplina: In recentiorum tamen scriptis praeclara invenimus moralis doctrinae praecepta et incitamenta ex Divini Numinis exemplo, ejusque omniscientia ac sapientia petita.

Haec habui, quae dicerem de gravissima quaestione, quam a Vobis, Viri Eruditissimi! propositam audivimus. Quae si vobis probavero, splendidissimum mihi hujus operis praemium contigisse existimabo. Illud certe affirmare non dubito, multum me vobis debere, Viri Eruditissimi! qui, talibus quaestionibus proponendis, literatorum hominum studia excitare soleatis, quoniam uberrimum mihi haec scriptio cum utilitatis, tum jucunditatis, fructum attulit; maxime vero eo, quod numquam mihi ita firmiter fuit persuasum, vera moralis doctrinae fundamenta ex sanctissima necessitudine cum summo Numine ac benignissimo humani generis Patre derivata, a nulla umquam philosophorum schola ita prudenter ad sapientiae ac veritatis normam adacta esse atque descripta, quam in illa praestantissima disciplina, quam a Divino nostrae Religionis Conditore atque auctore accepimus.

Sit igitur hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque, quae gerantur, eorum geri ditione ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones intueri, piorumque et impiorum habere rationem.

CICERO.


578338



